ADMIRANDA METHODUS NOVAE PHILOSOPHIAE RENATI DES...

Marten Schoock

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
24 I
11

ADMIRANDA
METHODVS
Novæ Philosophiæ
RENATI DES CARTES

VLTRAIECTI,

Ex Officina JOANNIS van

VVAESBERGE,

Anno cIↄ Iↄ c xliii.

MARTINUS SCHOOCKIUS
Philosophiæ in Academ. Groningo-Omlandica Professor, Lect. S. D.

A Quo tempore primum Nobilissimus Amplissimusque Magistratus Trajectinus, heroico conatu Illust: Gymnasii (quod præter multorum opinionem cito in Academiā excrevit) fundamēta moliri cœpit; cujusdam Renati des Cartes nomen primo mussitari, dein, quod Philosophorum aquila diceretur, apud nobiles quosdam & magnates maxime, jactari inceptum est, famæ ejus præcipuo buccinatore viro quodam non indocto, qui persuadere laboravit, alicubi (antrum enim hominis ut ut rogatus nunquam monstrare cupiebat) nobilem quem virū latitare, qui non tantum sufficeret

debellandæ Philosophiæ Peripateticæ, verum etiam suo tempore, subsidio Matheseos & maxime Algebræ, tam perspicuum & solidis demõstrationibus suffultũ Philosophiæ systema daturus esset, ut nunquam perfectius Sol aspexerit. Quanquam autem tũ temporis, oppido adhuc juvenis, ex Aristotele meo scirem; sapientem non facile admirari, usuq; & assidua recentiorum Philosophorum lectione didicissem, Novatores in Philosophia facilius posse explodere receptæ philosophiæ dogmata, quam meliora in eorum locum substituere; nihilominus D. Οὔτις *, occultus scilicet philosophantium dictator, tacite mihi placere cœpit, quod credere non possem, virum inge-*

ingeniosũ, (qualis fuit ille, quem modo designavi) toto cælo circa hominem (ut dicebat) à multis annis exploratum, errare posse. Eoque multoties apud eundem institi ut me aut ad novi Apollinis cortinam deduceret, aut explicaret responsa, quæ ex ea prodiisse dicebat. At ut occultũ Sophiæ sacrarium monstraret, nũquam adduci potuit, quod diceret ejus antistitem paucorũ hominum esse; dogmata perpauca quoque indicavit, maxime ea, quæ Problematicis quibusdã dissertatiunculis subinde immiscere solet; nõ quod ea ignorare videretur, aut æternum premere vellet; sed maxime ut mihi multisq́ aliis salivam moveret lintei alicujus libri, in quo absol-

 ven-

vendo authorem totũ esse identidem dicebat. Dum ego ergo, mecumque plurimi per annos aliquot patienter has novæ philosophiæ tabulas, velut quod è cælo scutũ exspectant; de improviso anno 1637. Leydæ liber quis Gallicus, nullum authoris nomẽ præferens, quadruplicique titulo insignis evulgatur; cujus patrem simulac virum sc. ex annalium memoria Cartesiũ esse intellexi, eum mihi cõparavi & pro qualicunq; scientiæ modulo in Gallica lingua, quam primum pertinaci diligentia evolvere cœpi, identidem ex me quærens; hiccine esse ille ὠυτὸς inter philosophos, qui brevissimo temporis spatio magna illa Aristotelis, Platonis, nomina obliterare posset? nihil tamen

tamen definire audebam, quod existimarem me ex turba infelicium illorũ hominum esse, quos ut mysteriorum suorum incapaces nõ semel in Methodo author proscribit, & ad sacræ ignorãtiæ insulas ablegatos cupit. Postea alios, quos credebam nomẽ quod inter eruditos ferre, in consiliũ adhibere cœpi, & quid de nova Cartesii philosophia videretur, sciscitari; ex quibus cum discerem, in spisso libro, quicquid nõnullis videretur, magno conatu maximas nugas agi; per otium, ut idem propius explorare possem, librũ sepositum relegere cœpi; in quo cũ primo authoris methodũ, & dein superbam pertinacemque cõfidentiam, in quaque pagina proditam, diligenter

annotassem, certo apud me statui nullas in posterum horas taliũ apinarum examini consecrare; credidique neminẽ ineruditorũ caveis in ventum iri, qui utroq; pollice has abortivas nugas à fluctuãte patre expositas probaturus esset. Oblivionis ergo supparo apud me multosq; alios ad tempus aliquod Cartesii nomen tectum fuit, & adhuc tegeretur, nisi sequẽti anno Medicus quis, ad cathedram Medicam in Academia eodem mecũ die evectus, Cartesianæ philosophiæ signum erigere incepisset, publice privatimque eam loco antiquæ & receptæ philosophiæ docẽdo & inculcãdo, ut autem fieri solet, pauculi rerum imperiti adolescentes, quorum aures Sirenum can-

tui nõ aſſueverant, avide nova opinionum monſtra in pectoris ſacrarium deduxerint, tãtoſque ſpiritus Carteſio, (qui dictaturã in nova Academia à primis ejus incunabulis animo agitaverat) addiderunt, ut præcedenti anno auſus fuerit nomen ſuũ ſex Meditationibus, quibus percellere ſtudet obfirmatos atheorũ animos, præſcribere, ſpecimenque philoſophiæ ſuæ non uni aut alteri offerre, ſed ipſi Sorbonæ Pariſienſi, quæ tamẽ hactenus antiquæ philoſophiæ veritatem quã pertinaciſſime contra quoſcunq; Novatores defendit. Sed ut ſpes, citra judicium ſuſcepta, quam fallax & raro diuturna eſſe ſolet; Carteſii philoſophia, jam principatum in novâ Aca-

 demia

demia obtenturam se sperabat, quod minus decore se gereret & imprudentius à Medico defenderetur, præter multorũ opinionem uno Senatus Academici decreto, approbante Nobiliss. & Ampliss. urbis Magistratu, nunquam in posterũ per Dei gratiã reditura, proscripta fuit. Efferatior proinde factus est, Renatus des Cartes; qui ut ab orbe universo agnosci posset, sibi ipsi larvam detraxit, ut enim bilem cõmode eructaret, Amstelodamẽsi prælo iterũ subjici Meditationes suas curavit, iisq; auctarii vice Epistolam, quam si Archilochiũ edictũ vocavero nequaquam calumniabor, subjunxit. Omnia epistolæ puncta scurram & sycophantam olentia in antecessum
non

non repræsentabo, quid mihi acciderit solum referam. Simulac abominandum carmen ex sycophantiis, fallaciis, & Thrasonismis consutū legi, omnia quæ ab homine unquam scripta erant cum eo cōponere cœpi, quo illius indolem explorare eamque aliquando ex fidei legibus orbi delineare possem. Omnia vero cum accuratius expendisse viderer, mihi δίχα νόος secundum Pindarum; ita ut difficile initio fuerit ἀτρέκειαν εἰπεῖν. Existimabā enim initio novatorem hunc aut Davidis Georgii, aut Iohānis Torrentii antehac ergastuli Harlemensis inquilini vestigiis insistere, & novarum opinionum portentis vanos & opulentos velle dementare, quo marsupiū & ar-

cam eorum manciparet, secureq́; tātis pecuniæ subsidiis suffultus, Genio ac naturæ indulgeret: Sed mox suspicioni illi nuncium misi cum perpenderem sacculos non araneis plenos, sed numis ab illo circumferri, eorumq́; auxilio & opera ea oppugnari, quæ omni auro cariora esse deberent. Fugatis ergo prioribus cogitationibus novis indulgere cæpi, & post serium scrupulosumq; examen, tria potissimū novæ philosophiæ architectum agere deprehēdi, de quibus cum ex re sit omnes edoceri, libere ac sine ullis ambagibus prodam. Primo, *ut ut modestiā simulet, omni tamen studio ac conatu hoc agit, quo per amiculos & artes ingenuo homine indignas, velut alteram Babyloni-*

lonicam turrim, erigat, & quidem in iis locis, ubi hactenus publice privatimq; antiqua ac recepta philosophia doceri consuevit. Fateor, non quidem aperte hoc hominem agere; interim tamē, ut clare Lectorem docemus, dum videri vult Scepticos refutare, quod facere solent quicunq; per patricias artes, in aulis magis quam scholis notas, studiosos eorumque professores, ac consequenter Ecclesiam, & Rempubl. disputationibus & contentionibus distrahere laborant, & sic viā sternere ad periculosissimas hæreses & scismata. Ita Faustus Socinus dicere solet, se ea reformare, quæ omissa à Luthero ac Calvino erant, quo secure per orbem Christianum

Pho-

Photinianismi semina spargere posset; item Adolphus Venator quondam Alcmarianus pastor, veræ ac meræ Theologiæ professor videri voluit, quo nefanda quæque dogmata propagare posset, ac sub tertii sacramenti prætextu, virginum & viduarum pedes lavare. Secundo, *cum libris & lectioni bellum indixerit Cartesius, pro virili studiosam juventutem, à studiis & laboribus, ætati illi maxime congruis, abducere laborat, pelliciendo eam non quidem Epicuri exemplo ad hortum & mensam, aut instar Torrentii ad speciosas fœminas, cantharum & aleam; sed ad otium & meditabundos lectos, & quidem prætextu cogitationum, observationum & experien-*

perientiarum, per quæ eruditionis compendia, si homini credere volumus, citra pulveris jactum, quotquot Promethea faventem experiuntur, docti non tantum, verum & celebres evadere possunt. Tertio, *ut omnes in hoc tractatu doceo, cognovi hominem cũ Vaninio paria facere, & dum videri vult Atheos Achilleis argumentis oppugnare, subdole ac admodum occulte Atheismi venenum iis affricare, qui anguem in herba latitantem præ ingenii imbecillitate ubique deprehendere non possunt. Enimvero multi rationales Theologo-philosophi, quibus sordet Scriptura, Atheismum docent, dum detegere ac refutare eum laborant. Sic diabolus*

dum

dum Christum, benedictum salvatorem nostrum, divinæ providentiæ admonere præsumit, longissime ab ea adducit, exstimulãdo eum ad Dominũ Deum tentandũ. Hæc enim subtilium Atheorum praxis: Unum aut alterum contra Atheos, ut infallibile argumentum jactare, quod quia pauci vix capere possunt, tacite ostenditur nulla argumenta esse, quibus certo ac citra fluctuationem ullam numen quod esse evincatur. Et tantum quidem de hominis instituto, prout colligere potui ex sedula tum lectione, tum iterato scriptorum ejus examine. Quibus moribus in vita præditus sit, difficulter aliquis expedire posset: quis omnia enim ejus latibula,

bula, & sæpius quam ab Hamaxobiis fieri solet, mutata domicilia explicet? Modo in Westfrisia, modo in Geldria, iterum in Hollandia aut Transisulania, aut Trajectina Diœcesi vivere dicitur, ut non injuria quis prima fronte suspicari posset eum ex Societate Fratrum Roseæ crucis prodiisse, quorum jactabundam vocem ante annos non ita multos Germania quidem audire potuit, eos ipsos autem, ut ut diligenter quæsitos, difficulter invenire. Cui suspicioni & ego non invitus accederem, nisi scirem hominem ambitiosissimum velle nomē suum (quod studiose dicti Fratres silentio premi curabāt)

apertis tibiis per omnes orbis angulos decantari. Non videtur quoque Anachoretarum voto ſe obſtrinxiſſe, quos aut quas enim, inviſere amat, ipſo meridie inviſit & ſalutat; & quanquam antiquorum Philoſophorū vix nomen ferre poteſt, eorum tamē exemplo redivivus Satho ſcil. Phrynes quas in delitiis habere arcteq́ complecti dicitur. Vt ego vero libere profitear, quid de hominis latibulis judicem, exiſtimo eum aut malæ conſciētiæ ſtimulis exagitari, forte quod bidental (Deus novit) alicubi contrectarit; aut eſſe ex Timonis, alteriuſve triſtis μισανθρώπου, *poſteritate, aut denique amabili inſania deludi. Sed quæ necdum in proſcenium ſunt adducta, ante*

te diem fusius detectum ire non possum. Vt ut ergo sit, hoc saltem verissimum, hominem esse gnaviter impudentem, superbū fastidiosum, maledicum, & cōvitiatorem, qui quid dicat, nihil pensi habere videtur. Vt alia hujus rei documenta prætereā, abunde hoc docet vel una Epistola ad Dinetum: non contentus enim in ea omnes Academiarum Professores, imo omnes, quotquot vixerunt & vivunt, viros doctos contemsisse; nominatim incurrit in inclytā Academiā Vltrajectinam, præ cæteris vero in Theologum, superiori anno in ea Rectorem Magnificum. Pro Academia, in qua ad quadrienniū publice privatimq; docui, nihil dicam; ipsa, ut opinor, pro se respon-

spondebit, hominisq; calumnias & mendacia, ut in posterum similis farinæ hominibus exemplum esse possit: pro Theologo dilectissimo mihi præceptore paucula tantum verba faciam; orbi enim Sacrosanctæ Theologiæ Doctor & Professor Voetius, ita hodie innotuit, ut haut necessu sit eum prolixa oratione defendere contra sacrum carnis & mundi sacerdotem Renatũ des Cartes. Duum vero generum convitia, dicteria, & mendacia sunt, quibus irrito conatu integerrimam Doctoris Voetii existimationem lædere & collutulare studuit: Quædam ad caussam hanc non pertinent; quædam vero caussam ipsam tangunt. Ex iis quæ ad caussam hanc non pertinent

illud

illud primum est, quod Epist. p. 178. *Edit. Elz. dicit*: Eum in potentiores invehendo ferventem & indomitum pietatis zelum præ se ferre. *Si Cartesius formulam hanc, qua jam olim falso carnales quidam Libertini, omnium horarum vertumni, hybridæ Christiani, & alii quibus mens male conscia, immerentem & ex conscientia ad Dei gloriam munere imposito fungentem in propatulo ferire solent, suam hic facere voluit, næ in prudētiæ leges peccat, quod calumniam, quam ejus architecti hactenus necdum ex antro suo protrahere ausi fuerunt, pro sua adoptare ausit: Si vero quod ex parte credo si ingenium ejus propius explorem, ipse diabolicū hoc men-*

mendacium per indomitā mentiendi ac calumniādi libidinem fabricatus est, videat ne aliquādo alibi secundum aliam figurā & modum de eo disputatio incidat. Sed his diaboli delitiis larvā detrahamus. Dicit Renatus des Cartes, vir scil. mentiri nescius, Theologum in potentiores invehēdo ferventem & indomitū pietatis zelum prę se ferre. *Mirum ergo quod in vico vicino Sylvæducis per annos sex, & Huesdæ per annos* 17. *Magistratus eum civem & Ecclesiæ suæ ministrum toleraverit; & dum inibi Christi euangelium prædicaret ad ministerium Ecclesiæ Hagæ-comitanæ, Roterodamensis, Harlemensis, ac Sylvæ-ducensis in forma*

sit

ſit vocatus. Tētatus vero & ſollicitatus aut per literas aut delegatos ab Eccleſia Dordracena, & Middelburgenſi, applaudentibus & dimiſsionem ejus flagitantibus Illuſtr. & Celſiſs. Principibus, Mauritio Naſſovio, & Henrico Frederico, item Celſiſsima Principiſſa, Illuſtrium & Potentiſsimorum Ordd. Generalium delegatis, Nobilibus & potentibus Ordd. Hollandiæ delegatis, nec non Curiarum Senatoribus, & Ampliſsimis urbium earum Magiſtratibus. Ito, mi homo, & in alio orbe fatuis perſuade à tot Illuſtriſsimis, Potentiſsimis, Nobiliſsimis, Ampliſsimiſque viris aliquoties ad miniſterium capeſſendum invitatum fuiſſe Theologum, ut quotidie ejus

ejus immoderatum Zelum, effreneque os in se debacchans experrientur. Sed quorsum tā procul discedimus? An non Nobilissimi & Amplissimi Senatores Vltrajectini ei professionem theologicam decreverunt, & postmodum ab Ecclesia, quæ Christo in ea urbe colligitur, pastorem electum approbarunt? nisi forte propterea hoc factū existimes, ut quotidie, aut pro re nata, ipsi ab eo possēt perstringi. Sed, si placet mi homo, indiciū fac eorū potētiorum, qui indomiti ferventisque Zeli à Theologo prodeuntis, experti sunt. Quid dixit Theologus? aut qui tu, qui ignoti antri perpetuo inquilinus esse amas, hoc scire potes? Taces ad ἐχεμυθίαν redactus? Loqui

vero potuisti & ausus fuisti in Epistola; propterea secundo *e-nim ostendere laboras pag. ead. Theolog. ferventis indomitique Zeli igni æstuare, quod* modo in Romanam religionem, *modo in* alias quascunque à sua diversas invehatur. *Scili-cet, mi vir, nosti quæ & qualia dona verbi divini ministrum commendent & exornent: pro-pterea, ne plures caussas laudem, à tam variis Ecclesiis Theol. ex-petitus fuit, ut orthodoxam ve-ritatem contra Romanæ Eccle-siæ, aliarumque sectarum dog-mata, machinationes, strophas, ac sophismata defendere posset. Nec tamen concionandi dotes, quibus à Deo instructus Theo-log., aut tantum, aut principa-*

 liter

liter in elenchis consistunt, sive, ut tu loqueris, invectivis in adversarios. *Vis ac Suada solidæ & vere divinæ sapientiæ amplius se prodere solet in patheticis usibus & applicationibus adhortationum, consolationũ, &c. Sed quorsum porcis margaritas projicio. Pergit vero Cartesius, &* tertio *pag.* 178 *sic ait.* Interdum etiam dicteriis plebeculę aures demulcet. *Quasi vero Theologus sit Cartesius, aut æmulari debeat mundanos crassosque Libertinos. Novimus vero quorum pharetræ hæc & similia tela Theologi adversariis ad eum jugulãdũ suppeditare solent: sed, ut spero, Deus aliquando occasionem cõcedet contra eos & Cartesium alia*

lia ratione super his calumniis disputandi. Dicit calumniator Theologum plebeculæ tãtum aures demulcere, *ut incautis persuadeat turbæ & plebis favore ac præsidio virum doctum & pium tantum niti, & propterea Magistratus in eũ serio necdum decrevisse animadvertere, quod pro tempore vix tuto hoc liceat per eos, quibus multitudo virtutem ac audaciam addere solet. Sed toto cælo errat. Trajectina civitas multos adhuc purpuratos per Dei gratiam in sinu suo fovet, qui nequaquã sinent pietatem, Zelum, & innocẽtiam per paucorum calumnias, mendacia, ac Sinonias artes opprimi. Progreditur, &* quarto *pag.* 177. *ita dicit:*

Cluet Theologus, Concionator, Disputator. *Rhetoricationes hæ Rhetoricam Socinianam & Remonstranticam olent. Sed quid ad rem faciunt? Adesdum, mi homo; quando Voetium audire dicis Theologũ, Concionatorem, ac disputatorem, licet ringaris & femur ferias, verum dicis. Sed quid interim hoc ad defensionem philosophiæ tuæ? Novimus quidem, neque enim cornea nobis fibra est, quo tendas, quidve, rerum ignaris tacite innuere velis: Sed quid diceres, si quis pari importunitate præfaretur: Cartesius cluet lucifuga, alter Cainus, vagus, &c. ganeo, venereus nepotulus, &c. an non mox exciperes nequaquam illud ad rem facere, etiam-*

etiamsi verum esset? Sed quid dein quinto *ex locis communibus Calumniarum profertur?* Multos quotidie libellos, sed à nemine legendos, emittit. *Si Voetii scripta publica intelligat, an quis ea legere dignetur, (quandoquidem ipse neq; libros legit, neque bibliopolia obit) discere posset vel ex uno suo Medico: ne contra hominem in propatulo mendacem bibliopolas nō tantum nostræ, sed suæ etiam, ac Remonstranticæ professionis testes laudem. Sin vero in animo habuit Theses, aut Diatribas in Academia ad disputandum proponi solitas: quamvis oculi ipsi doleant, multarum Disputationum à Typographo exemplaria haberi amplius non poßunt; ad-*

eo avide mox ab evulgatione nō tantum à noſtratibus, verū extraneis etiam Eccleſiarum paſtoribus, & Theologiæ ſtudioſis, quin etiam Profeſſoribus, Philoſophis, Iuriſconſultis & Medicis, & quod miretur quis à viris politicis ac in dignitate conſtitutis expetuntur. Pudor & modeſtia non permittunt exhibere literas magnorum virorū, quibus ipſius Theſes quotidie efflagitant. Sexto, *hæc os mendax eructat ead. pag.* Varios authores, ſed ſępius contra ſe, quam pro ſe facientes, citat. *Sed an Cretenſis Therſites unquam aut Theol. publica ſcripta, aut Theſes legit? Si legit, an etiam authores legit qui ibi citantur, & cum Theol. libel-*

lis

lis contulit? Quod si vero ex instituto Scepticæ ignaviæ, ignorantiæ, & αὐθαδείας suæ bonos authores non legit, qua fronte judicium sibi arrogare audet! Sed age, specimen edat authorum, nō semel atque iterum tantum, sed sæpius *contra Theologū facientium. Nec tantum sæpius, si homini ex mendaciis consuto credimus, authores contra eum faciunt, sed amplius* (*ut* septimo *innuit ead. pag.*) authores forte ex indicibus tātum notos citat. *Quam stolidū hoc mendacium sit, norunt, qui semel tantum Theol. scripta inspexerunt: nam pro re nata, & usu ita postulante, non raro in iis ipsæ sententiæ ac formalia authorum verba citantur propositisque*

tisque sententiis applicantur: nonnunquam etiam citata verba aut explicantur, aut examinantur: alias etiam dicta cum dictis conferuntur, quo sibi invicem lucem fænerari queant. Tantam autem authorum, quos ad partes vocat, fiduciam Theolog. habet; ut non tantum eorum libros, & capita, sed sæpe etiam paginas, numeros, sectiones, ac paragraphos citet. Si Cartesio animus, in lucem prodeat, experiaturque an Theol. authores ex Indicibus tantum cognoscat, aut quem subornet ex mystagogis suis, alium si reperire non possit Medico suo eas partes deleget, jubeatque non de Theologis ipsi propriis, sed philosophis, historicis, literatoribus,

toribus, antiquariis, &c. collationem cū eo instituere. Quam vero, librorùm helluo Theol., omnis generis authorum notitiā habeat, non tantum studiosi sed multi alii viri docti norunt, qui omnigenos scriptores ex ipsius bibliotheca quotidie commodato accipere solent. Non contentus eructasse has calūnias Cartesius, ita dein octavo *pag.* 178. *in Theolog. debacchatur:* De quibuslibet scientiis tāquam si earum gnarus esset, audacissime, sed & imperitissime, loquendo, admodum doctus indoctis videtur. *Quam male cohæret hoc mendacium? Renato si fidem habere volumus: quādo Theol. Disputationes & lectiones in Academia habet, aut*

 the-

ejus immoderatum Zelum, effreneque os in se debacchans experrientur. Sed quorsum tam procul discedimus? An non Nobilissimi & Amplissimi Senatores Vltrajectini ei professionem theologicam decreverunt, & postmodum ab Ecclesia, quæ Christo in ea urbe colligitur, pastorem electum approbarunt? nisi forte propterea hoc factum existimes, ut quotidie, aut pro re nata, ipsi ab eo possent perstringi. Sed, si placet mi homo, indicium fac eorum potentiorum, qui indomiti ferventisque Zeli à Theologo prodeuntis, experti sunt. Quid dixit Theologus? aut qui tu, qui ignoti antri perpetuo inquilinus esse amas, hoc scire potes? Taces ad ἐχεμυθίαν redactus? Loqui

vero

vero potuiſti & auſus fuiſti in Epiſtola; propterea ſecundo *enim oſtendere laboras pag. ead. Theolog. ferventis indomitique Zeli igni æſtuare, quod* modo in Romanam religionem, *modo in* alias quaſcunque à ſua diverſas invehatur. *Scilicet, mi vir, noſti quæ & qualia dona verbi divini miniſtrum commendent & exornent: propterea, ne plures cauſſas laudem, à tam variis Eccleſiis Theol. expetitus fuit, ut orthodoxam veritatem contra Romanæ Eccleſiæ, aliarumque ſectarum dogmata, machinationes, ſtrophas, ac ſophiſmata defendere poſſet. Nec tamen concionandi dotes, quibus à Deo inſtructus Theolog., aut tantum, aut principa-*

liter in elenchis consistunt, sive, ut tu loqueris, invectivis in adversarios. *Vis ac Suada solidæ & vere divinæ sapientiæ amplius se prodere solet in patheticis usibus & applicationibus adhortationum, consolationū, &c. Sed quorsum porcis margaritas projicio. Pergit vero Cartesius,* & tertio *pag.* 178 *sic ait.* Interdum etiam dicteriis plebeculę aures demulcet. *Quasi vero Theologus sit Cartesius, aut æmulari debeat mundanos crassosque Libertinos. Novimus vero quorum pharetræ hæc & similia tela Theologi adversariis ad eum jugulādū suppeditare solent: sed, ut spero, Deus aliquando occasionem cōcedet contra eos & Cartesium alia*

lia ratione super his calumniis disputandi. Dicit calumniator Theologum plebeculæ tãtum aures demulcere, *ut incautis persuadeat turbæ & plebis favore ac præsidio virum doctum & pium tantum niti, & propterea Magistratus in eũ serio necdum decrevisse animadvertere, quod pro tempore vix tuto hoc liceat per eos, quibus multitudo virtutem ac audaciam addere solet. Sed toto cælo errat. Trajectina civitas multos adhuc purpuratos per Dei gratiam in sinu suo fovet, qui nequaquã sinent pietatem, Zelum, & innocẽtiam per paucorum calumnias, mendacia, ac Sinonias artes opprimi. Progreditur, &* quarto *pag.* 177. *ita dicit:*

Cluet Theologus, Concionator, Disputator. *Rhetoricationes hæ Rhetoricam Socinianam & Remonstranticam olent. Sed quid ad rem faciunt? Adesdum, mi homo; quando Voetium audire dicis Theologũ, Concionatorem, ac disputatorem, licet ringaris & femur ferias, verum dicis. Sed quid interim hoc ad defensionem philosophiæ tuæ? Novimus quidem, neque enim cornea nobis fibra est, quo tendas, quidve, rerum ignaris tacite innuere velis: Sed quid diceres, si quis pari importunitate præfaretur: Cartesius cluet lucifuga, alter Cainus, vagus, &c. ganeo, venereus nepotulus, &c. an non mox exciperes nequaquam illud ad rem facere, etiam-*

etiamsi verum esset? Sed quid de in quinto *ex locis communibus Calumniarum profertur?* Multos quotidie libellos, sed à nemine legendos, emittit. *Si Voetii scripta publica intelligat, an quis ea legere dignetur, (quandoquidem ipse neq; libros legit, neque bibliopolia obit) discere posset vel ex uno suo Medico: ne contra hominem in propatulo mendacem bibliopolas nō tantum nostræ, sed suæ etiam, ac Remonstranticæ professionis testes laudem. Sin vero in animo habuit Theses, aut Diatribas in Academia ad disputandum proponi solitas: quamvis oculi ipsi doleant, multarum Disputationum à Typographo exemplaria haberi amplius non possunt; ad-*

eo avide mox ab evulgatione nõ tantum à nostratibus, verũ extraneis etiam Ecclesiarum pastoribus, & Theologiæ studiosis, quin etiam Professoribus, Philosophis, Iurisconsultis & Medicis, & quod miretur quis à viris politicis ac in dignitate constitutis expetuntur. Pudor & modestia non permittunt exhibere literas magnorum virorũ, quibus ipsius Theses quotidie efflagitant. Sexto, *hæc os mendax eructat ead. pag.* Varios authores, sed sępius contra se, quam pro se facientes, citat. *Sed an Cretensis Thersites unquam aut Theol. publica scripta, aut Theses legit? Si legit, an etiam authores legit qui ibi citantur, & cum Theol. libel-*

lis

lis contulit? Quod si vero ex instituto Scepticæ ignaviæ, ignorantiæ, & αὐθαδείας suæ bonos authores non legit, qua fronte judicium sibi arrogare audet! Sed age, specimen edat authorum, nō semel atque iterum tantum, sed sæpius contra Theologū facientium. Nec tantum sæpius, si homini ex mendaciis consuto credimus, authores contra eum faciunt, sed amplius (ut septimo innuit ead. pag.) authores forte ex indicibus tātum notos citat. Quam stolidū hoc mendacium sit, norunt, qui semel tantum Theol. scripta inspexerunt: nam pro re nata, & usu ita postulante, non raro in iis ipsæ sententiæ ac formalia authorum verba citantur propositisque

tisque ſententiis applicantur: nonnunquam etiam citata verba aut explicantur, aut examinantur: alias etiam dicta cum dictis conferuntur, quo ſibi invicem lucem fænerari queant. Tantam autem authorum, quos ad partes vocat, fiduciam Theolog. habet; ut non tantum eorum libros, & capita, ſed ſæpe etiam paginas, numeros, ſectiones, ac paragraphos citet. Si Carteſio animus, in lucem prodeat, experiaturque an Theol. authores ex Indicibus tantum cognoſcat, aut quem ſubornet ex myſtagogis ſuis, alium ſi reperire non poſſit Medico ſuo eas partes deleget, jubeatque non de Theologis ipſi propriis, ſed philoſophis, hiſtoricis, literatoribus,

toribus, antiquariis, &c. collationem cũ eo instituere. Quam vero, librorùm belluo Theol., omnis generis authorum notitiã habeat, non tantum studiosi sed multi alii viri docti norunt, qui omnigenos scriptores ex ipsius bibliotheca quotidie commodato accipere solent. Non contentus eructasse has calũnias Cartesius, ita dein octavo *pag.* 178. *in Theolog. debacchatur:* De quibuslibet scientiis tãquam si earum gnarus esset, audacissime, sed & imperitissime, loquendo, admodum doctus indoctis videtur. *Quam male cohæret hoc mendacium? Renato si fidem habere volumus: quãdo Theol. Disputationes & lectiones in Academia habet, aut the-*

theses edit, aut libellos caveæ eruditorum cõsecratos, evulgat, indoctis loquitur. Enimvero fortis imaginatio hic Cartesium in vertiginem egit. Dic vero, mihi homo, quãdo aut quo loco Theologus de quibuslibet scientiis tanquam earum gnarus lococutus fuit? Putasne eum tui similem esse? minime. Intra terminos suos se continet, & si quæ sint ex alienis scientiis, quæ ad Scripturæ & Theologiæ suæ explicationem necessaria esse judicet, ea quærere ac discere solet ex expertis & primæ notæ Medicis, Iurisconsultis, Chirurgis, Mathematicis, &c. Vt sicubi erret, saltem cum eruditis & in quaque arte sapientibus errans veniam ab omnibus æquis Censoribus

soribus mereatur: Memor enim perpetuo Aristotelici effati est: Artifici in sua arte credendum. Pergit bipedum mendacissimus, & nono pag. ead. sequentem calumniam eructat: Sæpe, ubi fuit disputandum, convitia pro rationibus attulit. *Quandò hoc accidit, mi tenebrio: hujus rei non meminit Academia Trajectina: si possis, testes, eosque testabiles, lauda, qui hoc Ultrajecti unquam accidisse deponant; aut si nulli tibi occurrant, debitam calumniatoribus mercedem, aliquando tibi exsolvendam, exspecta.* Decimo *ut videatur Cretensium dictator cũ ratione loqui, ignorantiæ impudentiæque Theologi specimen adferre laborat, & pag.* 182: *I-*

 gna-

gnaris persuadere laborat, Gorlæum ac Taurellum nunquam forte *ei visos esse, quia sibi erãt ignoti. Sed quam putidum hoc impuri calumniatoris argumentum? Ego authores in vulgus notissimos nunquam aut salutavi aut inspexi, Ergo & aliis, nominatim Theol: per omnia ignoti esse debent. Enimvero neq; Theolog., neque ego, neque quis alius ex ordine eruditorum sexcenta talenta mereri vellet, ac tam hospes in libris esse, ac Cartesius, qui eos pro inutili philosophaturo suppellectile habet. An vero Voetius ignoret Gorlæũ ac Taurellum discat ex studiosis, qui authores eos, quotidie ab eo commodato accipere solent, aut si iis fidem deroget, in consilium*
adhi-

adhibeat suum Medicum. Undecimo, *Theol., si credere volumus sacer intestabilisque habendus est, quoniam Cartesii philosophiam in magiæ suspicionem vocare voluit. Sic enim pag. 199. loquitur:* Tantum interrogo an recte intelligat istam philosophiam, quam condemnat, homo usque adeo stolidus (aut, si mavult, malignus) ut eam in Magiæ suspicionem voluerit adducere, quia figuras considerat. *Quæ tua occulta (per Dei gratiam deinceps magis detegenda) philosophia esset, quod latitaret adhuc in materiæ phantasticæ potentia, non noverat Theol. cum principia Philosophiæ Medici tui detegeret; neque enim*

tum

tum lucem adhuc aspexerant Meditationes tuæ Metaphysicæ, ac præter eas nullus libellus ad manum erat, in quem ut tuũ, tuto stylum stringere potuisset. Tantum Medici tui imprudens effatum publice propositum, &, ut audivi, quam infeliciter defensum, inter alias objectiones, hac quoque difficultate premebat. Sed an hac ratione Philosophiam tuam, ut Magicã proscripsit? quam infeliciter soles κορυζαντῖαν. *Videris vero qua fronte, & consciẽntia, hominem doctum, pium, & innocentem,* stolidum ac malignum *vocaveris.* Duodecimo, *epitheta Theologi quæ deinceps pag.* 187. & 194. *per satyram coacervat, ut quod sit,* ineptus, importunus

in aliis provocandis, sæpius turpiter victus decesserit, *& quæ alia ejusdem notæ sunt, omnia condonari debent calamitati, quam Cartesiana philosophia in Academia Vltrajectina, etiam opitulantibus doctissimis Theoligi Disputationibus, præter spem & opinionem passa est. Ferunt alicubi in Gallia (fabula an historia sit, nescio) litigantibus, qui publice caussa ceciderũt, concedi, ut bilem suam impune effundãt. Theologus orthodoxæ philosophiæ ac Theologiæ assertor neminem importune unquã provocavit, ne quidem Cartesianæ philosophiæ fautores: nisi forte propterea importunus provocator haberi debeat, quod D. Renato quam importune & a-*

lienissi-

lienissimo tempore acciderit, ut philosophia ejus à Theologo in lucem protracta & protrita, nec non publice prostituta, Academia Ultrajectina, in qua se dominaturam crediderat, exterminaretur non tantum Senatus authoritate, sed amplius studiosorum, veritati cedentium, judiciis. Importune provocando si alicubi sit peccatum, næ à parte Cartesii est peccatum, qui Theologum volentem nolentem importunis convitiis, calumniis, & mendaciis in proscenium protrahere laborat. Et tantum de iis, quæ caussam ipsam non tangunt: succedunt dein calumniæ & mendacia, quæ caussam ipsam, ob quam bonus scilicet vir Cartesius viruten-

rulentam Epistolam evulgavit, propius concernunt. Cum ea enim velut infelici saburra caudam libri sui onerare voluerit, ut imperitis persuaderet philosophiam suam paucis annis in Academia Vltrajectina per Medicum tradi solitam, per iniquitatem proscriptam & eliminatam fuisse; incautis & rerum gestarum ignaris persuadere laborat per unum Theologum tum temporis Rectorem Magnificum importune hoc procuratum fuisse. Hoc vero dum agit, quot pene verba, totidem hominis flagitia deprehendere licet: tam cruda enim & crassa per quamque prope lineam mendacia eructat, ut pari jure & halitu scribere potuisset,

Theo-

Theologũ superioris anni Recto-rem Magnificum voluisse patriam prodere, parricidiũ Principi intentare, urbem hanc Vulcano consecrare, latronum & seditiosorum manum ducere, Turcismum, aut hæreses Socinianas, aut Iudaismum introducere, & quid non? Vt ad rem vero accedamus, homo noster subdole admodum, & plane secundum Methodum pseudo-politicorum & pseudo-pragmaticorum omnem bilem in unum Theologũ, sive Magnificũ Rectorem, exonerare laborat, fingendo ab eo uno factum fuisse, quod à toto Professorum Collegio conditum est decretum; quo aut Theologum cum collegis suis committat, aut majorem gratiam

tiam à Patribus Societatis Iesu ineat, quibus Theologus, quod stylũ aliquando in quædam Ecclesiæ Romanæ dogmata strinxit, præ aliis invisus est. Sed si placuißet Cartesio Medicum suum consulere, aut potius si Medico placuißet veritati litare & conscientiæ rationem habere, nequaquam dißimulare aut potuisset aut debuisset falsum esse. Theologũ aut festinabundum aut importunum in proscribendis novæ philosophiæ commentis fuiße, sed potius varios ex aliis Profeßoribus, Medici item collegas, somnia & commenta in ipsa herba voluiße opprimi, sæpeque conquestos fuisse apud suum Rectorem Magnificum, nimis diu ea tolerari,

quæ

quæ aliquando pacem Academicam turbatura essent, fibulã esse imponendam novaturientibus, omnem heterodoxiæ occasionem procul averruncandam; Rectorem vero, hoc est ipsum Theologum, sæpius tela intentata à Medici jugulo avertisse, quod lenitate, ac longanimitate eum ad officium opportune revocari posse speraret. Etenim si aut Medicus, aut ipse Cartesius hæc quæ certiora sunt iis quæ apud Sagram, cogitasset, aliud etenim præmium indulgentiæ ac moderationi Rectoris decrevisset; nec contra solem primo sic mentitus fuisset pag. 180. Ac vero hæc satis magna occasio visa est Rectori Theologo ad Medicum circum

cumveniendum, hæreseosque condemnandum, & ita, vel invito Magistratu, si res, ut sperabat, successisset, de Professione deturbandum. *Ipse Medicus loquatur, qui non tantum Theologũ expertus est, qualem reliqui Collegæ, sed privatim etiam amicum & fautorem, ut ipse variis indiciis sæpe testatus fuit. Quando vero aut per quos Theologus unquã Medicum tuum de Professione deturbare studuit: loquere, ne omnes tibi, ut Sycophantæ, aut κ aut κ decernant. Sed quomodo tandem Theologus Medicum Cartesianum exauctorare laboravit?* invito magistratu. *Papæ! tantane authoritate & potentia Ultrajecti pollet Theologus!*

gus!

theologus! Disce, tenebrio, ex Nobilissimo & Amplissimo Senatu Vltrajectino, disce ex Professoribus, vel ex uno Medico tuo, imo disce ex quovis idiota Vltrajeno; non per Professorem unum, aut Rectorem Academiæ, imo ne per omnes quidem Professores constitui aut destitui Professorem Academicum, sed à pleno totius Senatus consessu, sive à xl. *hujus urbis viris. Si dicas vero Rectorem hoc molitum, ut ab ipso Senatu, invito quidem, sed coacto per ecclesiasticum cõsistorium, aut capitulum, aut ejus potestatem removeretur; memineris in laudatissima hac Rep. nequaquam curiæ Romanæ praxin observari. Sin vero cõfugias ad familiare tuum* Co-

gïto,

gito, *aut ad lepidum hoc ſomnium*; Cujus idea eſt in me, illud ipſum eſt; *Ergo hoc à theologo factũ fuiſſet, quia talem apud me circumfero ideam, forteque medicum depoſuiſſet aut per ſeditionem popularem, aut armatam manum, aut magicas artes, immiſſoſque dæmones; (aliud enim fingi nõ poteſt) jam ablegabo te ad Medicum tuum, ut helleboro Chimæricas has & aduſtæ bilis imaginationes averruncet, aut ſi Medicus neget* ἀῤῥωστίᾳ φαντασίας, *ſi non* διανοίας, *te laborare, ad ſacerdotem ſacroſãctæ Iuſtitiæ, qui virgis talia dæmonia abigere poteſt, & ſolet. Sed* (Secundo) *progreditur Renatus, ut probet per unum theologum philoſophiam ſuam proſcrip-*

ſcriptam fuiſſe, & pag. 195. ita loquitur: Ipſe antea, non laceſſitus, libellos duos, theſium nomine in Collegam ſuum ediderat; eoſque etiam SS. Facultatis Theologiæ authoritate munire conatus erat, ut innocentem circumveniret, & per calumniam everteret. *Vbi pudor! hoccine molitus unquam Theologus? ipſe Medicus audiatur, ut totus orbis Carteſium Cratenſiũ ſceptro digniſſimum eſſe agnoſcat. Ita ergo ille in Præfatione ad D. Theologi theſes profatur:* Magnifice rector, viſis doctiſſimis & ſubtiliſſimis tuis theſibus, quas nuper de formis ſubſtantialibus, aliiſque rebus Phyſicis ad ventilandum

pro-

propoſitas, præter alios, etiã Medicinæ & Philoſophię in Academia noſtra Profeſſoribus, inter quos & ego aliquam partem facio, tibi dedicare placuit; maximo certe gaudio ſum perfuſus, tum quod vir tantus & ſtylum, & ingenium, & nos in tali materia exercere voluerit, cum nullus dubitem, quin rationibus, ad ſententiam tuam defendendis quam validiſſimis ſis uſus, adeo ut poſt tuas ſi quis validiores exſpectaret, merito ipſum fruſtra fore ſit exiſtimandum; tum etiam, quod, cum maxima earũ pars è diametro pugnet cum dogmatis, quæ ego antehac docere conſuevi, tua præfa-

lienissimo tempore acciderit, ut philosophia ejus à Theologo in lucem protracta & protrita, nec non publice prostituta, Academia Vltrajectina, in qua se dominaturam crediderat, exterminaretur non tantum Senatus authoritate, sed amplius studiosorum, veritati cedentium, judiciis. Importune provocando si alicubi sit peccatum, næ à parte Cartesii est peccatum, qui Theologum volentem nolentem importunis convitiis, calumniis, & mendaciis in proscenium protrahere laborat. Et tantum de iis, quæ caussam ipsam non tangunt: succedunt dein calumniæ & mendacia, quæ caussam ipsam, ob quam bonus scilicet vir Cartesius vi-

*rulentam Epistolam evulgavit,
propius concernunt. Cum ea e-
nim velut infelici saburra cau-
dam libri sui onerare voluerit,
ut imperitis persuaderet philo-
sophiam suam paucis annis in
Academia Vltrajectina per
Medicum tradi solitam, per
iniquitatem proscriptam & e-
liminatam fuisse; incautis &
rerum gestarum ignaris persu-
adere laborat per unum Theo-
logum tum temporis Rectorem
Magnificum importune hoc
procuratum fuisse. Hoc vero
dum agit, quot pene verba, to-
tidem hominis flagitia depre-
hendere licet: tam cruda enim
& crassa per quamque prope li-
neam mendacia eructat, ut pari
jure & halitu scribere potuisset,*

Theo-

Theologũ superioris anni Rectorem Magnificum voluisse patriam prodere, parricidiũ Principi intentare, urbem hanc Vulcano consecrare, latronum & seditiosorum manum ducere, Turcismum, aut hæreses Socinianas, aut Iudaismum introducere, & quid non? Vt ad rem vero accedamus, homo noster subdole admodum, & plane secundum Methodum pseudo-politicorum & pseudo-pragmaticorum omnem bilem in unum Theologũ, sive Magnificũ Rectorem, exonerare laborat, fingendo ab eo uno factum fuisse, quod à toto Professorum Collegio conditum est decretum; quo aut Theologum cum collegis suis committat, aut majorem gra-

tiam à Patribus Societatis Iesu ineat, quibus Theologus, quod stylũ aliquando in quadam Ecclesiæ Romanæ dogmata strinxit, præ aliis invisus est. Sed si placuisset Cartesio Medicum suum consulere, aut potius si Medico placuisset veritati litare & conscientiæ rationem habere, nequaquam dissimulare aut potuisset aut debuisset falsum esse. Theologũ aut festinabundum aut importunum in proscribendis novæ philosophiæ commentis fuisse, sed potius varios ex aliis Professoribus, Medici item collegas, somnia & commenta in ipsa herba voluisse opprimi, sæpeque conquestos fuisse apud suum Rectorem Magnificum, nimis diu ea tolerari,

quæ aliquando pacem Academicam turbatura essent, fibulā esse imponendam novaturientibus, omnem heterodoxiæ occasionem procul averruncandam; Rectorem vero; hoc est ipsum Theologum, sæpius tela intentata à Medici jugulo avertisse, quod lenitate, ac longanimitate eum ad officium opportune revocari posse speraret. Etenim si aut Medicus, aut ipse Cartesius hæc quæ certiora sunt iis quæ apud Sagram, cogitasset, aliud etenim præmium indulgentiæ ac moderationi Rectoris decrevisset; nec contra solem primo sic mentitus fuisset pag. 180. Ac vero hæc satis magna occasio visa est Rectori Theologo ad Medicum circum

cumveniendum, hæreseosque condemnandum, & ita, vel invito Magistratu, si res, ut sperabat, successisset, de Professione deturbandum. *Ipse Medicus loquatur, qui non tantum Theologũ expertus est, qualem reliqui Collegæ, sed privatim etiam amicum & fautorem, ut ipse variis indiciis sæpe testatus fuit. Quando vero, aut per quos Theologus unquã Medicum tuum de Professione deturbare studuit: loquere, ne omnes tibi, ut Sycophantæ, aut κ aut κ decernant. Sed quomodo tandem Theologus Medicum Cartesianum exauctorare laboravit?* invito magistratu. *Papæ! tantane authoritate & potentia Ultrajecti pollet Theologus!*

theologus! Disce, tenebrio, ex Nobilissimo & Amplissimo Senatu Vltrajectino, disce ex Professoribus, vel ex uno Medico tuo, imo disce ex quovis idiota Vltrajeno; non per Professorem unum, aut Rectorem Academiæ, imo ne per omnes quidem Professores constitui aut destitui Professorem Academicum, sed à pleno totius Senatus consessu, sive à xl. *hujus urbis viris. Si dicas vero Rectorem hoc molitum, ut ab ipso Senatu, invito quidem, sed coacto per ecclesiasticum cõsistorium, aut capitulum, aut ejus potestatem removeretur; memineris in laudatissima hac Rep. nequaquam curiæ Romanæ praxin observari. Sin vero cõfugias ad familiare tuum* Cogito,

gito, *aut ad lepidum hoc ſomnium*; Cujus idea eſt in me, illud ipſum eſt; *Ergo hoc à theologo factũ fuiſſet, quia talem apud me circumfero ideam, forteque medicum depoſuiſſet aut per ſeditionem popularem, aut armatam manum, aut magicas artes, immiſſoſque dæmones; (aliud enim fingi nõ poteſt) jam ablegabo te ad Medicum tuum, ut helleboro Chimæricas has & aduſtæ bilis imaginationes averruncet, aut ſi Medicus neget* ἀῤῥωστίᾳ φαντασίας, *ſi non* διανοίας, *te laborare, ad ſacerdotem ſacroſã-ctæ Iuſtitiæ, qui virgis talia dæmonia abigere poteſt, & ſolet. Sed* (Secundo) *progreditur Renatus, ut probet per unum theologum philoſophiam ſuam proſcrip-*

ſcriptam fuiſſe, & pag. 195. ita loquitur: Ipſe antea, non laceſſitus, libellos duos, theſium nomine in Collegam ſuum ediderat, eoſque etiam SS. Facultatis Theologiæ authoritate munire conatus erat, ut innocentem circumveniret, & per calumniam everteret. *Vbi pudor! hoccine molitus unquam Theologus? ipſe Medicus audiatur, ut totus orbis Carteſium Cratenſiũ ſceptro digniſſimum eſſe agnoſcat. Ita ergo ille in Præfatione ad D. Theologi theſes profatur:* Magnifice rector, viſis doctiſſimis & ſubtiliſſimis tuis theſibus, quas nuper de formis ſubſtantialibus, aliiſque rebus Phyſicis ad ventilandum pro-

propositas, præter alios, etiã Medicinæ & Philosophię in Academia nostra Professoribus, inter quos & ego aliquam partem facio, tibi dedicare placuit; maximo certe gaudio sum perfusus, tum quod vir tantus & stylum, & ingenium, & nos in tali materia exercere voluerit, cum nullus dubitem, quin rationibus, ad sententiam tuam defendendis quam validissimis sis usus, adeo ut post tuas si quis validiores exspectaret, merito ipsum frustra fore sit existimandum; tum etiam, quod, cum maxima earũ pars è diametro pugnet cum dogmatis, quæ ego antehac docere consuevi, tua præfa-

tione potiſſimum me ſpectare, & ad reſpondendum invitare, atque ita ad honeſtam quandam veritatis curioſius inquirendæ æmulationem incitare voluiſſe videaris. Et certe eſt, quod de hoc aſſultu ſummoperè glorier; nam etiamſi in ipſo certamine eſſem inferior, etiam vinci per tantum adverſarium mihi glorioſum foret. Ingentes itaq; propterea tibi ago gratias, addoque hoc cumulo maximorum beneficiorum, quo me antehac tibi obſtrinxiſti, dum in Profeſſione mea Medica & provincia problematica obtinenda paratiſſimam operam mihi ſemper exhibuiſti, atque in multis a-

liis

liis patronus, fautor & amicus summus mihi perpetuo fuisti. *Vtri credam Cartesio homini mentiri solito, qui pronunciat Theologum laborasse Medicum* innocentem circumvenire & per calumniã evertere, *an ipsi Medico, qui Theologum post editas Theses patronum, fautorem & amicum summũ prædicat & agnoscit. Etenim Medico populari meo ac quondam etiam collegæ malo credere, quam Renato; neque enim ad calumniandum & mentiendum æque factus esse videtur.* Tertio *contra veritatis formulam sic Theologum Cartesius prostituere studet pag.* 177. Quievissent fortasse deinceps reliqui (*Medici*) Col-

VII.

Ventriculi cerebri nõ ſunt Spiritu animali diſtenti.

IX.

Naturalis circulatio ſanguinis non datur.

X.

Qui propter eam artis Medicæ fundamenta everſum eunt, graviter errant.

XI.

Qui Medicos eam non admittentes pro Empiricis habent, ſi praxim viderint, iniqui ſunt; ſi non viderint, de

praxi

praxi, tanquam qualitate ipsis occulta, ut cœci de coloribus, judicant.

XVIII.

Solanum Hortense non est amara dulcis: Nisi plantarum nomina ignorãtibus, liceat aliena nomina ignotis plantis indere.

Si Gallis tuis, infelix veri sacerdos, quid memoria dignum narrare voluisses, Corollaria hæc, chartulis cito evanescentibus subtracta, libro tuo, velut quod eruditionis ac philosophiæ novæ trophæũ inseruisses. Quid dein vero dicis? Quarto *pag.* 187. Cum in omnibus conventiculis, quæ cõgregabat, sede-

ſederet ut judex, eſſetque idem acerbiſſimus accuſator, *&c. Et pag.* 166. Quid autem iniquius eſſe poteſt, quam quod Rector collegam ſuum injuriarum reum faciat, ob id unum, quod tam manifeſtas & veras rationes attulerit? *&c. Quid actum fuerit in ſecretiori Veſtæ ſacrario, ego, qui illi non interfui, dicere haut poßum: audio tamen ipſam Academiam propediem rerum geſtarum Hiſtoriolam evulgaturam, viſurumque Carteſium in ea omnium & ſingulorum Profeſſorum nomina (etiam ejus qui dicitur pag.*188. *jußiſſe* nomen ſuum tanquam non approbantis *annotari) ſubſcripta libello ſupplici, qui oblatus eſt*

Nobi-

Nobilissimo Amplissimoque Senatui Vltrajectino, quem mox excepit Cartesianæ philosophiæ per publicam authoritatem in Medico deturbatio. Quinto, Pag. 198. *Rectori, hoc est, Theologo soli invidiam conflare pudet, quod convitiis Medicum proscindere voluerit, sic enim loquitur:* Denique ea quæ hic notantur de Choræbo, item de Atheis, aut bestiis, &c. nõ sponte à Medico fuisse scripta, sed prius injuriose ac falso à Theologo in ipsum jacta, quæ ut posset refellere, coactus fuit veris & evidentibus rationibus ostendere illa nomina non sibi, sed potius adversario suo convenire. *Quid actum fuerit, ut audio,*

dio, propediem historia, cujus modo mentio facta est, docebit: interim, quæ retaliandi animo Medicus dixisse & scripsisse perhibetur, non feriunt tantum Ultrajectinum Rectorem, sed omnes per totum terrarum orbem antiquæ philosophiæ professores, propterea enim Choræbo alicui similes sunt, ut ipse Medicus innuit in Respons. ad 11. *Theologi Thesin*; quoniam ad unum principium activũ, formam nempe substantialem, eamque incognitam, omnia revocant, & consequẽter omnium rerum naturalium ignorantiam satis manifeste profiteri solent. Sexto, *pag.* 179. *eidem Rectori invidiam conflare studet, quod*

Medi-

Medicus inter disputandum factus fuerit explosionis victima. Quid de explosionibus, censendum sit, ego qui Academiæ Ultrajectinæ membrum esse desii, liquido non scio: qua occasione vero cur, & quomodo evenerint norunt Auditores omnes, Professoresque qui disputationibus Medici interfuerunt, propediemque historia veritatis testis, ex rerum gestarum luce docebit. Septimo, *pulchre se caussæ patrocinari existimat, quãdo Theologum pag.* 188. turbulentum Rectorem, *& pag* 211. seditiosum rectorem *non semel autem*, Disputationem seditiosam *vocat. Novit scilicet homo lucifuga, in aliena republ. & Academia curiosus, aut po-*
 tius

tius Academiarum turbator, forteque ejusdem commatis cum Vaninio Collegii Atheorum emissario & legato, quid sit seditio. Sed de hoc mendacio cum bono Deo aliquando alibi, aliisque chartis agendum erit. Interim nota, humanissime Lector, seditionem vocari, quod Professor publicus, & Academiæ Rector, ex decreto Facultatis suæ, consentiẽtibus reliquis Cll. DD. Professoribus, horis ac loco convenientibus, disputationem instituit, & quidem ex occasione, quam propediem historia narrabit. Postremo *etiam Medico suo citra Senatus authoritatem populiq; imperium, triumphum decernit pag. 203. & seq. quod Rectoris filius irrito cona-*

tu patris argumenta repetierit, aliusque ab eodem Rectore subornatus, nomine Lambertus vanden Waterlaet prodomum Iustæ Responsionis ediderit: quasi vero filius, Metaphysices in eadem Academia Professor, non potius ex ordine Metaphysicarum Disputationum & velut ἐν παρόδῳ, quam ex Professo, Cartesiana περιτίσματα perstrinxerit; Dominusque Lambertus in Academia Leidensi vivens (ut mihi probè aliquando affirmavit) inscio Thelogo (neque enim de Prodromi editione, quã sub prælo esset, quicquam audiverat) commentationes suas evulgarit, quarum solutio nec data nec danda. Infelix historicus, non cum Theologo (neque

enim aliena præstare tenetur) sed cum ipso Dn. Waterlaet hic agat; qui ut mihi hæc commentanti sæpius testatus, sese offert aut Coram, aut scripto cum D. Cartesio, aut etiam ipsius Medico, collatione instituta, ad Corollariorum suorum absque præsidio aut auxilio Theologi, legitimam justamque defensionem. Et hæc quidem hactenus. Volui autem scenam hanc in prologo paulo uberius detegere, quo Cartesii, qui vir modestissimus & à calumniando alienissimus videri vult, ingenium ab omnibus cognosci queat. Quanquam vero per Dei gratiam, nova ejus philosophia nullas hactenus adhuc turbas in Academia, in qua Philosophiam doceo

ceo excitavit; antiquæ tamen philosophiæ studiosos, institutionis nostræ alumnos in tempore contra nova monstra, quæ nonnullis etiam & inter eos albæ gallinæ filiis (rerum novarum fortè nimis avidis) in delitiis esse perhibentur, munire volui. Quatuor autem commentarioli partes constitui. Prima *Cartesii discipulum delineo:* Secunda *philosophiæ, quam jactat, principia ac Methodum:* Tertia *obiter Metaphysicam, & quædam Physica dogmata speciminis ergo examino:* Quarta *breviter ostendo novam hãc philosophandi methodum, recta non tantum ad Scepticismum, verum Enthusiasmum quoque, Atheismum ac phrene-*

sin ducere. Homini me nihil voluisse affingere, testis est conscientia, videbuntque omnes, quibus placebit horis succisivis ad ipsa Cartesii Cartesianorumque scripta diverti, eaque æqua judicii lance examinare. Si nolit forte Cartesius omnia ut sua, amplecti quæ à Medico ipsius scripta & dictata sunt, ruminetur sua verba, quæ occurrunt in Epist. ad Dinetum pag. 174. & seq. Doctor quidam Medicinæ, vir acerrimi ac perspicacissimi ingenii, atque ex eorum numero qui quamvis Scholarum Philosophiam recte didicerint, quia tamen ei non credunt & sunt ingenui, non ideo multum superbiunt, nec se admodum do-

ctos

ctos esse fingunt, ut aliis quibusdam in more est, qui ipsa sunt inebriati: Legit dioptricam meam, & Meteora, cum primum edita sunt in lucem ac statim aliqua verioris Philosophię principia contineri judicavît: Quæ colligendo diligentius, & alia ex iis deducendo, ea fuit sagacitate, ut intra paucos menses integram inde Physiologiam cõcinnârit, quæ, cum privatim à nonnullis visa esset, eis sic placuit, ut Professionem Medicinæ, ibi tunc forte vacantem, pro illo, qui antea ipsam non ambiebat, à magistratu petierint & impetrarint. *Quibus verbis erectior Medici Theses, Dictatataque Physi-*

Physica, ut novæ philosophiæ compendium, in tractatulo hoc laudare sustinui: si amplius Medici quod erratum notem, non tam ipsi Cartesio, quam philosophiæ novæ, quam profitetur imputari cupio. Quod reliquum Deum Opt. Max rogo ut clementer Academias, Scholasque respiciat, ab iisque omnia nova dogmata, quæ periculosæ aleæ plenissima esse solent, avertat.

IN METHODUM

PHILOSOPHIÆ R.D.C.

PER

Clarißimum, Celeberrimum, ac Subtilißimum

VIRUM,

D. MARTINUM SCHOOCKIUM,

In alma Groningo-Omlandica Academia Philosophię Ordinarium Professorem &c. Luci datam.

SCatere nuper nocte plurimâ Sophos
Ænigmatisque; quæ nec Oedipi labor,
Apollo non dissolvat, aut Grajus Senex.
Hæc nempe quisque pro libidinis suæ
Exponere genio, & Lycei Pulpita
Contaminare sordidæ mentis probo.
Exinde tenebris omnia, & mero chao
In horruere, somniorum *inanias,*
Ineptiasque, sive aniles fabulas,
Dum quisque profert pro Stagiricâ dape.

Sed

Sed nunc tenebris omnibus promens facem,
Cispellit umbras hinc MARTINVS, *&* *probâ*
Signat monetâ, quidquid in scholas Sophûm
Evomuit atrâ conditum caligine
RENATVS. *omne* SCHOOCKIO *renascitur*
RENATI *abortivum, animæ meliori datum.*
Quid? gratia hoc an robur? O mentem bonam!
Quæ lumen orco pandit & nocti diem;
Quêis animus ire tutiori semitâ
Procul beati; quod necis; vitæ datum.

Nam juxta PLAVT:

Viam qui nescit, qua veniat ad mare, eum oportet amnem quærere comitem sibi.

VW.

INTRO-

Paralipomena ad præfationem.

DE MAGIA.

PAg. 199. *Istam philosophiam meam in Magiæ suspicionem voluit adducere, quia figuras considerat.* Quam vere hoc dicatur patebit ad oculum conferenti verba Theologi, quæ falso glossemate suo huc detorquere voluit. Sic habentur thesi 2. appendicis ad corollaria: Cum quantitati & figuræ tribuitur efficientia & motus, qui formis earumque qualitatibus activis tribui solet: videndum ne aliquando adolescentes imprudenter per consequentiam admittant axioma illud magicum ab omni Theologia & philosophia Christiana hactenus rejectum: Quantitatis & figuræ aliqua est efficacia, eaque aut per se aut cum aliis concurrit tanquam activum transmutationis principium.

De Atheo aut Bestia.

PAg. 198. *Quis ferat hominem tam importunum, ut sibi velit licere alios per calumniam Atheos & Bestias vocare.* Te-

la quæ contra Atheos in altũ jacta ſunt iſta, quibus ſi Carteſius aut quiſquam alias ſponte ſe induere velit, Theologus præſtare non poteſt. Sic enim in appendice ad corollar. theſi 2.

Theſ. 2. *Velim videre quomodo ii, qui negant facultates ſeu potentias naturales, Contra Atheos ſcepticos infideles vindicaturi ſint habitus (quorum neceßitatem ſcriptura & ratio ſuadet) ne pariter in pentagonum illud ergaſterium motus, quietis, quantitatis, poſituræ, figuræ, compingantur.* His adde ex hiſtoriâ triduanæ diſputationis: ubi cum primus opponens primo diſp. die, Ad Coroll. primum de formis ſubſtantialibus, Inter alia inferret, ſequi ergo negantes & impugnantes eo modo & argumento formas, eſſe Hæreticos & Atheos: Negata fuit conſequentia, additaque ratio negationis, quia nõ vident tantum abſurdorum ſyrma, nec eo fine ſic argumentãtur. Vrgẽti autem denuo & inſtanti Opponenti Reſponſum eſt: Quod ſi abſurdis illis quæ notat corollarium, detectis, pergat quis Theſin illam (*Cujus originis modus ignoratur aut non ſatis explicari poteſt, illud ipſum non eſt*) pertinaciter cum hypo-

theſi-

thesibus & Consectariis defendere, eum posse ad eam absurditatem adigi ut sit aut Bestia aut Atheus.

Hoccine est per calumniam alios vocare Atheos & bestias? O Thersiticum caput!

De Elias veniet.

PAg. 184. & 183. *Præterquam quod in Thesibus suis nomen meum expresserat, ut & Medicus sæpe in suis, etiam inter disputandum me nominabat, quærebatque ab Opponente mihi nunquam viso, num ipsi argumenta suggessissem, & indignissima comparatione utens, aiebat, eos quibus vulgaris philosophandi ratio displicet, aliam à me expectare, ut Iudæi expectant Eliam qui eos deducat in omnem veritatem.* Studio videtur hoc agere Cartesius noster ne unquam verum dicat. Sic res se habet.

Triduanę disp. die tertia, opponente N. & inferente, absque formis & qualitatibus prætensis omnia naturalia explicari posse: Cum ejus specimen edi peteret Defendens & cum eo præses vel in uno magnete: excepit arcanum quid inesse, atque dum ita concederentur

qualitates occultæ, quas tamen semper negare videntur: propositus fuit ęstus Maris, & in ejus explicatione per nova principia specimē philosophię novæ postulatum. Prætensa necessitate tabulæ & cretę, cum tamen situm maris sibi satis constare regereret Defendens, adeoque vanam esse illam pretensionem: provocavit opponens ad demonstrationem præceptoris sui jam datam, & si opus dandam. Reposuit Respondens, ita fieri solitum apud eos quibus deficiunt rationes, scil. ablegare tum eos ad adversarios promittentes quod nec pręstant nec præstabunt in æternum. Imo nec Ipse Cartesius, quidquid etiam spei quisquam faciat. Cumque ita Opponens ad exitū rei provocaret ad philosophiæ Cartesianæ editionem eāq; promitteret: Respondit præses, similes esse tales philosophos Iudęis seu Rabbinis, qui quotiescumque aqua ipsis hæret aut nodus insolubilis occurrit, dicere solent *Elias veniet.* Interim spem pretio apud nos non emi.

Quod autem subdit Cartesius præsidem quæsivisse ex Opponente, num Cartesius argumenta ipsi suppeditasset, ignotum est auditorio Vltrajectino: itaque

que inter fabulas deputandum.

De Choræbo.

PAg. 198. *Quæ hic notantur de Choræbo, Item de Atheis & Bestiis &c. Non sponte à Medico fuisse scripta, sed prius injuriose à Theologo in ipsum jacta.* Veritas manifesta evincitur ex thesi 2. sub finem cujus hæc verba: *In genere quidem & indefinite dicit esse effectus naturales à quinquercione illo accidentium, quod Chorebus quisque unius atque alterius horulæ spatio doceri posset: sed nec in specie nec in individuo determinatè explicat aut probat,* &c.

Hæccine sunt dicenda injuriosè in Medicum jacta esse: siquidem ipse sponte ea sibi non applicet?

De duobus Libellis.

PAg. 195. *Ipse enim antea non lacessitus libellos duos (thesium nomine) in Collegam suum ediderat.*

Commentum hic geminum:

1. *Duos libellos scriptos esse,* cum non nisi tria nuda Corollaria in genere & indefi-

definitè diſputationi ſeu diatribæ Theologicę de Iubileo Romano ſubjecta ſint: quibus poſtea occaſione oppoſitionis (ut fert præfatio) adjecta appendix, ſeu, mavis Corollariorum explicatio.

2. *Quod in Collegam ſuum:* Hęc falſa: (videantur corollaria cũ appendice) niſi dicendum pari jure omnia in genere diſputata, in ſpecie & individuo, ſeu nominatim in aliquem dicta eſſe. Imo ne ſic quidem præciſe in Collegam ſuum magis, quam in Carteſiũ aut alium quempiam, qui neget unionem ſubſtantialem animæ cum corpore, aut motum cœli &c. Theologi cum in Academiis diſputant contra Atheos, Epicureos, Iudeos, Enthuſiaſtas, Socinianos, Libertinos, Scepticos, &c. ideo dicendi non ſunt emittere libellos in collegas ſuos, quamvis forte inter collegas (ipſis inſciis aut conſciis) eſſet quis aliquis iſtorum errorum fautor. Alioquin Theologis nunquam eſſet diſputandum. Sed ex ipsâ diſputationis triduanæ, & totius abortûs novæ philoſophię hiſtoriâ plane contrarium conſtabit. Quidquid æſtuet Carteſius, & quo magis Theologo abortum illum unicè aut præcipuè imputat, hoc magis vires atque eruditionem ejus extollit,

tollit,

tollit, & philosophię suæ infirmitatem ac miseriam prodit. Ipsa enim nunc Deo annuente ita oblivione sepulta est in Academiâ Vltrajectinâ, ut ne unus quidem ex studiosis hodie notus sit, qui eam sectetur aut alicujus faciat, aut urnam ejus vel unâ lacrymulâ perfundat. De busto Cartesianę ferociæ, & nimię atq; inauditæ in aliena Academiâ, Republicâ, & ecclesiâ curiositatis suo tẽpore videbitur. Neque enim putamus arridere usquequaque prudentioribus, ut peregrinus quis tenebrio professione externâ Pontificius, & sensu Scepticismi si non Atheismi candidatus, perpetuò protestetur se Theologica atque ecclesiastica non attingere, interim in unos Theologos, prætextu philosophico totam belli molem convertat, Medicis & Philosophis præteritis, res & sacra Theologiæ & Politiæ nostrę Ecclesiasticæ perreptet atque ecclesiarum & Academiarum perturbationem moliatur: unde aliquando nihil aliud quam Reipublicæ concussionem, & Optimatum ac Procerũ quorundam collisionem exspectandam nôrunt illi, quibus est genius incolarum Belgii notus.

Typo-

Typographus Lectori.

Sphalmata Typographica si aliunde irrepserint, Lector humanissimus judicio excipiet humano; non quod abesse persuasum habeam, sed quia temporis injuria invidet exhibere.

Pag. 55. in præfat. lin. 7. pudet, lege, studet.

Pag. 65. in præfat. lin. 16. probo, lege, probro.

IN-

INTRODUCTIO.



Nter præsentis seculi virtutes, aut vitia, nescio, an censeri debeat epidemica subactorum alias ingeniorum prurigo; quæ simulac blanda titillatione animum perfundere incipit, antiquitatis (venerandæ tamen) tantum fastidium movet, quantum novitatis (in Ecclesia, Repub. & Scholis ut plurimum periculosę) desiderium concitat. Vt amictus corpori serviens, non tam materia, aut apposito auro, quam formæ recenti artificio, (quod instar Horatiani pictoris, plerumque in somnio febricitans quis Veneris nepotulus excogitavit) censetur; sic vulgo ea solum eruditio habetur, quæ secura monumentorum, (ad quæ ab ipso Apolline sapientiæ candidatus Zeno ablegatus fuit) omnibus antiquis Sophis medium digitum ostendere audet, & oracula in proprio cerebro nata (quæ sæpe apud fusos, forfices & furnos audiri quoque solent) gravi vultu, loquaci dextra, præfracta pertinacia, in

imperitorum senatu profundere. Vbi frons, ubi cor! novitius Doctor neque sibi, neque fautoribus, ut plurimum à sidere ejus pendentibus, satisfacere putatur, nisi plenis paradoxarum opinionum, ac in vulgus ignotarum saccis, onustus incedat; quos si alicui trutinare lubeat, mox apud se disputare occipiet, quanto aranearum telis, & nebula, mendaces hæ bullæ leviores sint. Professioni ab ipsa pueritia destinatus professoriam linguam reprehendere citra vocationis ignominiam non possum; & tamen ringor, quod quidam qui ordinis nostri ornamenta videri cupiunt, proprio judicio, velut sorices, prodantur esse vibices. Nolo in præsens ad partes vocare Theologiæ Doctores, qui ut præ collegis videantur sapere, subtilitates sæpe aut ab infaustis Pelagii & Socini insulis accersunt, aut immoderato concordiæ Zelo ipsam ὀρθοδοξίαν ac pietatem consumunt. Non lubet quoque Iuris Professores traducere; per me quidem aut Iustiniani excelsique Triboniani ac Theophili proditores sint? aut usque ad risum eorum qui sacra & juridica leviter solum explorata habent, conviitiis.

vitiis, (qualia in comœdiis sibi invicem lenones dicere solent, ac in foro piscario ebriosæ mulierculæ) juris civilis tabulas ex Mose castigandas esse contendant; aut denique quamque, quam proponunt thesin, suppressis nominibus eorum qui pro ea stant, *contra communem Doctorum opinionem* arietare ad ravim usque improvidæ juventuti inculcent; quo ridiculi musculi videantur, qui juris elephantibus, si impunè eorum jugulum per catorum conniventiam arrodere liceat, pavorem incutere possint. Per me etiam medici transeant aliquando in Asclepidarum ordine Censura fungetur Cato, qui neque Fludi somnia, Mosaicorum arcanorum velo palliata, neque Thrasonismum Helmontii (qui bonum factum solus benedicto hoc scilicet seculo febrium propriam naturam elucidavit) in Ceritum tabulas referre negliget. Cum Philosophis hic mihi res aut potius cum Philosophiæ mangonibus; quorum scruta, ingeniique prurientis excrementa si quis ex castissimæ Deæ sacrario deportare vellet, plus laboris exantlare deberet, quam in expurgando Augiæ stabulo Hercules. Fertilis monstrorum

Aphrica est. Olim per familias distributi philosophantes in sua quique classe haut difficulter censeri poterant; hodie vero totidem sectæ sunt, quot prope philosophiæ perficiendæ (mystico utor vocabulo) se consecrarunt capita. Quod maxime autem ridiculum, quasi omnia vetustatis monumenta à Caligula quo submota essent; ambitiosa ingenia, quæ jam olim ab antiquis Philosophis, rudi & impolita adhuc Philosophia, ad perficiendam pulcherrimam artem excogitata fuerunt, pro suis adoptare sustinent, credulisque in legis Talariæ fraudem, velut extra libros concepta ac nata μελετήματα obtrudere. Ab inferis si resurgeret Democritus, septuplici pulmone indigeret, quo exsibilare posset tam multos atomorum suorum decerptores & deformatores; qui quanquam omnia quæ in volitantibus corpusculis jucunda & quadantenus plausibilia videntur, illi accepta referre debent, tam diligenter tamen nomen ejus dissimulāt; quam subdole paupertini ingenii jejunæque eruditionis fastum, specioso investigandæ veritatis (quam neque definire neque dijudicare sciunt) titulo incrustāt, ut vero

vero digito monstrari, & in cavea imperitorum (hic enim scopus est) fortes duellatores, audaces disputatores, & terribiles contradictionis magistri haberi possint; Scholis & Academiis bellum indicunt, Aristotelemque innoxium de gradu præcipitare laborant, cum tamen ut plurimum ejus dogmata vix exploraṙata habeant, ac more Andabatarum cum adversario congrediantur, quem neque vident, neque cognoscunt. Quanquam autem imperitiæ suæ spiculis, alium quem, aut ex antiquis, aut recentioribus philosophis petere possent, in misellum tamen magni Alexandri præceptorem ea dirigunt, quia ex eo prostrato uberiorem inanis gloriæ messem sperant. Quis adeo enim iniquus, qui lauream ei invideat, qui liquidis rationibus ostenderit, Aristotelem, magnum illum Aristotelem, non tantum esse atheum, sed delirum ineptumque philosophum, malevolum disputatorem, intricatum doctorem, contradictionisque magistrum maximum, etenim quisquis hoc egerit, non tantum stultitiæ omnes Academiarum Ephoros, antistitesque (qui volunt Aristotelica monumenta ju-

ta juventuti inculcari) redarguet, sed simul de ipso Platones Philosophorum Homero triumphabit: ejus quippe calculo Aristot. ὁ τῆς ἀληθείας φιλόσοφος hoc est, *veritatis philosophus* est. At quam infeliciter interim omnes Aristotelico mastiges cum ipsa mente (νοῦς quippe à Platone salutabatur Aristoteles) congrediantur, ex inanibus eorum conatibus liquet: ne quid enim dicam de antiquis Philosophi adversariis, quas quæso tenebras sapientiæ soli objicere potuerunt Ramus, uterque Patricius, Bern. Tilesius, sententiæ antiquorum Philosophorum interpolator ineptus Basso, per disputandi pruriginem Atheismo proximus Nicol. Taurellus, & ejus sectator quamvis haut æquis passibus, Gorlæus? Quin & Lullistarum Paracelsistarumque & chimerica fratrum roseæ crucis caterva? unum Ramum si excipias, reliqui aut duos sectatores, aut neminem habent: illique aliqui adhærent, non quod Aristotelem (quanquam conatus fuit) prostraverit, aut ejus philosophiam luce sua obscuraverit; sed quoniã methodũ indicasse videtur, cujus subsidio quis feliciter per Peripatetica latifundia progredi potest.

test: Quam imperfectũ enim corpus Philosophiæ sit, imo ipsa dialectica, quam Ramus cognitam ex parte habuisse videtur, vel hinc manifestum, quod plerique qui eum æstimant aut Aristotelico-Ramei haberi velint, aut si ab uno Ramo nomen ferre pulchrum putent, ejus tamen egestati ex Peripateticæ Philosophiæ cornucopiâ succurrant. Tanta scil: Aristotelis majestas, ut eum magnum Philosophum fuisse, illi ipsi fateri cogantur, qui in propatulo odisse videri volunt. Pygmæi instar pulicum pungere & excitare quidem Herculem possunt, simul ac tamen serio evigilare intendit, integra eorum agmina inter leonis exuvias collidit, ac enecat? Quos mordere non audent catelli, latratu petunt. Non catellorum tantum minutorum, sed Molossorum quoque insultus expertus Aristoteles est, nullum tamen vulnus accepit; in excelso enim gloriæ fastigio consistit, ad quod ipsius invidiæ dentes nunquam pertingent. Adeo ut videre satis non possim eorum vanos conatus, qui quicquid ingenii eruditionisque possidere videntur ad invicti hujus Philosophi scripta oppugnanda co-

gunt: quasi vero quis palliastro solem obscurare, corporisque angustis terminis excurrentis Oceani impetum sufflaminare queat. Quod maxime vero ridiculum, aut verius deplorandum, tanta Gigantum horum præsumptio, ut nuperrime quis ex ordine eorum, quem certo possum probare, ne quidem terminos Philosophiæ Peripateticæ intelligere, in scurrili ac mendaci epistola ad Dinetum pag. 169. hunc in modum scribere ausus fuerit: *Quinimo profiteor ne unius quidem quæstionis solutionem ope principiorum Peripateticæ Philosophiæ peculiarium, datam unquam fuisse, quam non possim demonstrare esse illegitimam & falsam: Fiat periculum, proponantur, non quidem omnes, neque enim operæ pretium puto multum temporis ea in re impendere, sed paucæ aliquæ selectiores, stabo promissis.* Quis hunc tenebrionem cum porculo Anticyras ablegandum non esse judicet? & tamen, quod gaudeat opinione viri ingeniosissimi, audet planam & perspicuam scilicet suam philosophiam partim otiosis quibusdam hominibus, nullius studii, nullius eruditionis, partim viris quibusdam Politicis obtrudere; quasi

vero

vero Theoreticæ philosophiæ effata, optime à Iurisconsultis, virisque Historiarum aut Grammaticorum, & Poëtarum sanis innutritis dijudicari possint: quodque quis miretur, homo alias dama timidior ac in solis lustri sui tenebris animosus, nuper steriles & abortivas nugas suas, velut veram & meram Philosophiam, per Medicum quem in novam aliquam, sed tamen non incelebrem, Academiam, explosâ scilicet omni antiquâ Philosophia introducere serio laboravit. Cum potius multorum calculo, eundem Medicum hortari debuisset de rite temperandis in tempore hellebori poculis; ne forte herba, quæ Camendi profuit, per novum Lexicon Botanicum investiganda, inveniri non possit, quando alicui ex discipulis post pertusam mediam venam, propinanda fuerit. Lepidi hujus hominis, & ad risum usque inepti philosophiam, in gratiam juventutis, (quæ ignara non esse debet initorum certaminum quibus Aristoteles suus petitur) imo aliorum, (quibus mendacissimus homo imponere & fumos vendere laborat) paucis detegere decretum est.

Antequam vero per certa capita ordine novæ & superbissimæ philosophiæ mysteria proponam, illius architectum (ne videar nomen ejus prodere non audere) indicare debeo. Nomen ergo illi ad tempus silentio pressum, & ab eo ipso indicatum, est *Renato des Cartes*; patria illi est Gallia orbis Europei sidus. Si aliorum titulis fides adhibenda, nobilissimus, aut saltem nobilis est. Natalium hanc prærogativam, quæ pessimis ac fatuis etiam nascendi sorte contingere potest, non invideo: emolumenta ejus videbimus ubi filium legitimum genuerit, illi enim quorum hactenus pater perhibetur subsequentibus annis infelices nobilitatis paternę testes futuri sunt. Internas dotes, si iis tenebras non laboraret offundere prædicaremus ipsi; ingeniosum enim quis eum esse neget? nec tamen Deus quis (nisi aliquis Iovem omnigenæ libidinis architectum cogitet) habendus est, quemadmodum cæci ejus sectatores imperitis persuadere student. Ingeniosi quoque seu subdoli, nec minus vesani ac furiosi fuerunt, Epicurus, Marcion, Aphon. Thyanobus, Manes, Lucianus, Mahometh, David Ge-

orgius

orgius, Machiavellus, Iulius Cæsar Vaninius, Campanella, Godefridus de Valle, Martinus Seidelius Silesius, Franciscus Davidis, Faustus Socinus, Anselmus Parmensis, Doctor Faustus, Henr. Cornelius Agrippa, R. Lipman Mulhusinus, Iohannes Torrentius, quamvis vulgaris & illitteratus pictor, aliique sine numero, omnes ἄνδρες οὐτιδανοὶ & πονηροῦ κόμματος. Non unum ingenium quem ad unguem perfectum reddit, sæpe enim male habitat. Cæterum qua occasione vir noster ingeniosus philosophari inceperit liquido affirmare nõ possum. Conjecturæ probabili si locus dandus sit, dicerem sub Ignatii Loyolæ sidere natum esse: ut hic enim superstitiosæ sectæ molitus est fundamenta, postquam contusis membris de murati aut navali in bello corona indipiscenda desperaret; ita noster post militiæ non longæ tyrocinia, desperans mareschalli aut legati imperium, fultus qualiscunque matheseos præsidio, novam philosophiam, ut novum ad gloriam iter, meditari cœpit. Ex superstitione trophæum erigere dubio procul studuisset, nisi infirmitatis suæ conscius, vir fibulæ aut cuculli impatiens

patiens, indomitam libidinem proditricem hypocriſeos aliquando metuiſſet. Quod admiſcere philoſophiæ ſucceſſum & ſectatores, author ejus videri vult quoſdam decepiſſe, & ad deliriorum ἀκρίωσλιν pertraxiſſe: cæterum ſi eos conſideremus, aut devotos ignorantiæ fratres, aut improvidos adoleſcentes, aut minus idoneos philoſophicorum effatorum judices deprehendemus. Quis enim tribus quatuorve viris alias ſummis, ſed negotiis rei communis diſtrictiſſimis, qui Carteſiana oracula ut quaſcumque alias Novellas, ad tœdium animo à gravioribus curis obortum diluendum audiunt & legunt, fidem adhibere velit præ tot viris doctis, qui omnem ætatem philoſophicis ſacris impenderunt, eaque quotidie adhuc non ſine applauſu tractant. Novimus quæ vis agilium manuum adulantiſque linguæ blanditiis inſit. Hamo illo multi capiuntur, quibus lapides loqui videberis, ſi aut immotæ veritatis oracula, aut divina teſtimonia urgeas. Sed forte aliquis ex ordine Profeſſorum, Carteſio adhærere videtur ?. Quid tum in quo orbis angulo una hirundo unquam ver fecit.

Quoſ-

Quosdam nova præ veteribus delectant, quia vetera aut non didicerunt, aut perfecte non didicerunt, aut si quid didicerint, alios commode docere non possunt. Paracelsus deliriis suis parcius indulsisset, nisi ignarissimus Galenicæ medicinæ, maximus tamen medicus salutari voluisset, quid quod quidam pro dolor! ex ordine publice docentium ex eo gloriolam captant, quod quæ à se proponuntur, quam longissime distent, ab iis, quæ vulgo ab eorundem disciplinarum magistris doceri ac tractari solent. Quasi scilicet nullus Spartam Academicam ornare possit, nisi ut heteroclitum caput à collegis immo ab omnibus sapientibus in alia omnia discedat, communique opinioni bellum indicat. Paupertinum ingenium, sterilisque eruditionis egestatem cordatis ut plurimum produnt, quotquot secundum hanc formulam docent. Cæterum persuadere quidem credulis incautisque bonis Cartesius vellet, propterea philosophiam suam verissimam scilicet, ac proinde antiquam, licet admodum plana ac perspicua sit, paucos invenire sectatores quoniam à malevolis quibus-

dam

dam professoribus, ejus tamen ignarissimis, persecutionem patitur, horrendisque calumniis ac convitiis oneratur: At quam falsum hoc sit, cuique liquebit, si placuerit sequentia capita, quibus Cartesianam philosophiam propriis coloribus candide & absque fuco delineabimus, citra præjudicium legere & examinare.

SECTIO PRIMA

CAPUT I.

Cartesianæ Philosophiæ omnes capaces non sunt, ejus sectator omnium quæ didicit oblivisci debet.

QVemadmodum antiquæ philosophiæ magistri, qui fumos juventuti vendere nolebant; ingenium ante explorare solent, quam aliquem in disciplinam recipere, ne forte oleum & operam perderet in addiscenda disciplina, ad quam perficiendam capax ingenium adferre non poterat: ita & *Renatus des Cartes*, vir antiquis scilicet moribus ut fide, in popello stropharum suarum ignaro candidus & à fallendi studio

dio alienissimus videatur, revera autem omnia errata infelicibus discipulis hebetique eorum ingenio imputare possit; in ipso philosophiæ vestibulo omnia ingenia mysteriorum suorum capacia non esse, gravi vultu & oratione, quo vir quantivis pretii habeatur, pronunciat, multosque quod Promothea minus faventem sint experti, à cortina suæ Σοφίας arcet. Vt alia loca, quibus, in libellis suis thuri strombrisque propediem consecrandis, hoc testatur, compendii ergo omittam; unus qui occurrit in Responsionibus quartis ad Meditationes pag. 284. Edit. Elz. instar omnium esse potest. Ita autem ibi: *Itaque quod ea, quæ in prima Meditatione, atque etiam in reliquis continentur, ad omnium ingeniorum captum non sint accommodata, plane concedo, idque ubicumque sese obtulit occasio testatus sum, atque in posterum testabor. Et hæc unica fuit caussa cur eadem in dissertatione de Methodo, quæ gallice scripta erat, non tractarim, sed ad has meditationes, quas à solis ingeniosis, & doctis legendas esse, præmonui, reservarim.* Discipuli, potissimum juniores, quos sacer superbæ præsumptionis morbus dementavit,

tavit, ulterius progrediuntur, *Beanisque* in publico auditorio accensere audent omnes, qui aut deliriorum Cartesianorum sunt incapaces, aut ea implicita fide amplecti non volunt. Ignoscendum Suffenis. Videant vero sedulo omnes hi ingeniosuli, ne dormienti & jactabundo lepori, ut in fabulis est, similes evadant, quem diligens ac constans testudo antevertit. Cleanthes & Xenocrates licet à condiscipulis, quod hebetiori ingenio essent, viderentur, &, ut alicubi Plutarchus prodidit, vulgo assimilarētur ἀγγείοις βραχυστόμοις & πινακίσι χαλκαῖς, hoc est, *vasis angustioris, ut æneis tabellis*; summi tamen evaserunt philosophi, universumque orbem docuerunt sedulam lectionem, taciturnam modestiam, ac pertinacem diligentiam de indoctorum sannionum dicteriis triumphare posse. Delectum ingeniorum novus Pythagoras habeat, sed simul eos, quos in ordinem discipulorum adoptavit, modestiam doceat; à superbo enim nihil boni exspectari potest. Admodum autem vereor ut hoc unquam fiat; quomodo enim Salmoneus, qui præ se nullum mortalium putat, quique sibi longe su-

gè ſupra Archimedem, Euclidem, Platonem, Ariſtotelem, omneſque antiquos & recentiores philoſophos ſapere videtur ad ſanctam modeſtiam, per quam ut ſpecularem lapidem omnis eruditio excitatur, dux eſſe queat? Sed progrediamur ad κριτήρια, ſecundum quæ in nova ſuperbię ſchola ingenia cenſentur, ea potiſſimum quinque ſunt, hoc, & quatuor ſubſequentibus capitibus ordine penſitanda. Quanquam autem ſecundum M. Tullium virum non tantum diſertum, ſed etiam judicioſum, *memoria inſigne divinitatis argumentum eſt*, eamque ut thecam ac capſam eruditionis in magno pretio habere ſolent, quotquot unquam inter eruditos cenſeri voluerunt: *Renatus des Cartes* tamen, ut ipſe pluribus fide digniſſimis viris dixit & teſtatus fuit, per integros viginti annos in eo occupatus fuit, ut omnium eorum, quæ unquam didicerat, oblivisci poſſit. Imo hoc faciendum eſſe, ſedulò monet in Methodo Gallice edita Anno 1637. pag. 16. & 17. agnoſcitque id dogma ſuum in reſponſione ad Objectiones ſeptimas pag. 32. Edit. Elz. Videantur amplius ejuſdem Reſponſionis pag. 7. 21.

7.21.23.& 24. Hinc in schola ejus *prima* futuri discipuli nota est, *si possit omnium quæ ab aliis didicit, oblivisci.* Enimvero quam beatus fuisset Themistocles, si in tale hominis dæmonium incidisset; Simonidem non sollicitasset de condenda oblivionis arte. Examinemus autem lepidam hanc probam. Omnium quæ didicit oblivisci debet Cartesianus discipulus; quo felicius contemplari, hoc est, incorari exemplo Claudii possit. Quisquis enim ex hominibus omnium quæ didicit, obliviscetur, aut rationem sibi eruere, aut memoriam admirandam animæ cellam prorsus obliterare debet: quædã quippe ex iis ita evidentia sunt, ut non possit eorum oboriri oblivio, nisi simul ipsum rationis lumen extinguatur. v.g. quo pacto aliquis, cui mens non læsa est, verissimi hujus effati (cujus veritatem citra præceptorum diligentiam discimus) *bis bina efficiunt quatuor,* oblivisci potest. Rei, cujus quis oblitus est, ejus nulla in eo est cognitio, neque enim putandum est Messalam Corvinũ, postquam perdiuturni morbi sævitiam proprii nominis oblitus erat, amplius illud exploratum habuisse. Age vero quis

quis destinato, omni molimine modo dicti effati oblivisci velit; quam diu mens in statione manebit integra, cognoscet *bis bina efficere quatuor*, ac consequenter verissimi axiomatis nequaquã oblitus erit. Ad hoc si omnium, quæ quis didicit, in novę philosophię vestibulo oblivisci debet, quid logicę naturali fiet? An ejus quoque apud Cartesianos obrepere debet oblivio? Sed quomodo quis oblitus illius, homo sana ratione præditus amplius salutari potest. Quicquid prætexant philosophię mangones, dum omnium efflagitant à philosophaturo oblivionem, jubent eum hominem exuere, nec tam ad sapientię sacrarium, quam ad Morię delubrum deducũnt. Vbi enim omnium in homine adulto est oblivio, ibi omnium etiam ignorantia: ubi vero omnium ignorantia, ibi rationis ac mentis læsio est; quædam enim per naturam ob summam sui evidentiam nota, ignorari non possunt, nisi rationis lucerna extinguatur, homoque ex sapientię candidato, stultitię epoptes evadat. Cogitet quæso hoc sedulo bonus vir, maxime cum in se dignis meditationibus liquido satis ostenderit,

detit, post infeliciter jactatam experientiam, ad rationem, velut δεύτερον πλοῦν, confugiendum esse. Nec expediet se si verba sua restringat, velintq; eorum tantum esse obliviscendum, quæ quis aut à præceptoribus, aut ex libris, mutis scilicet magistris, didicit. nam quæ quis hoc modo didicit ea aut omnia falsa sunt, ut videtur ex parte Cartesius innuere (licet profari adhuc palam vix ausit) in epistola ad dinetum pag. 170. & 171. aut si non omnia saltem magnam partem vera sunt. Si vera sunt, quorsum eorum quis oblivisci velit; nisi, quæ multorum est ambitio, videri velit nihil aliis debere, & per familiarem maniacorum syllogizationem à particulari ad universale progrediatur; hunc in modum cum multis fatuis doctorculis argutando: Hoc ego excogitavi, ergo nemo ante me scivit, & quotquot in posterum cognoscent, mihi ut primo architecto ac doctori volentes nolentes acceptum referre cogentur. Vnum idemque multis incidere potest, & quæ extra libros excogitata finguntur, in sexcentis eorum quadratis literis scripta sunt. Necessaria quoque non est falsorum oblivio:

vio: quorsum enim quis oblivisci velit ejus dogmatis quod novit esse falsum: memoria ejus neque veri cognitioni obesse potest, constat quippe esse falsum: neque impedire progressum in veri investigatione, quoniam enim falsum esse constat, seponitur, nec pertinax ei destinatur propugnatio. Si dicant in se falsa dogmata sæpe vera videri iis, qui eorum memoriam circumferunt; ac proinde præstare saburram illam abjicere, quam ab ea molestias in veri cognitione perpeti ne adhuc quidem divam, λήθην, sive *oblivionem* ad solium suum evexerunt. Facilius & tutius enim longe est, per diligens examen ejusmodi dogmatum falsitatem investigare, paulatimque per eorum eversionem ad veritatis possessionem appropinquare, quam post profundam omnium dogmatum & literarum oblivionem, obstetricante ingenio, sæpe mirum quam infirmato, novas opiniones parere, quas licet absurdissimas, quisquis tamen, qui eas primus excogitasse videri cupit, arctissimo complexu fovere assolet. Animadvertite vero quotquot candidi veri judices haberi vultis, Cartesiani cerebri circulationem

& ver-

& vertiginem. Omnium monet esse obliviscendum, nec quem probæ notę discipulum putat, nisi strenue divę Oblivioni litare queat: & tamen magistraliter velut quis in republ. literaria dictator, de omnium philosophorum sententiis pronunciare sustinet, Aristotelisque atque omnium scholarū dogmata instar Plautini Pyrgopolynicis, velut ventus folia difflare valet. Qui oblitus est rei alicujus, eam amplius non cognoscit: qui vero rem non cognoscit quomodo eam condemnare & ex æqui bonique formula proscribere potest. Quis ferat enim cœcum judicantem de coloribus? quis altum calonem condemnantum dogmata Hippocratis, Galeni, Aristotelis, Platonis, Themistii, Aphrodisæi, Averrois, Avicennę, Alberti, Thomę, Scoti, Occami? quis denique *Renatum des Cartes* oblitum diu Peripateticę philosophię, insulsum ejusdem judicem? Videat vero bonus vir, ne secundum primum Philosophię imaginarię principium iis accensendus sit, quos notat Apostolus Iudas v. 10. Epist. Cathol. quod *calumniarentur ea, quæ ignorabant*. Quandoquidem autem pauci nosse videntur an versipellis

Car-

Cartesius tam sedulo universalem oblivionem urgeat, paucis amplius *μυϛηριώδης* hoc dogma excutiendum est. Notandum ergo bonum Dominum *des Cartes* esse ex ordine eorum, qui amant omniscii aut *παντοδαεῖς* ab omnibus salutari: inter quos Cardano alicubi fidem faciente professus quoque nomen quoque suum *Raimundus Lullius* est, cujus sectatoribus pro symbolo erat compendiosum hoc ad famam scitum: *Omnem scientiam jactare, nullam didicisse*, ne vero vir catus exemplo Lullistarum & Ioannis Torrentii (qui similiter inter indoctos ipse indoctissimus omnium rerum exactam cognitionem jactabat) impostoribus, circulatoribusque accenseatur, & forte à Luciano, aut Atheneo quo Pantaleoni celeberrimo plano accenseatur, qui fere secundum eandem fallendi methodum, jam jam decessurus utrique filio imposuit, seorsum iis prodendo, qua parte domus aurum infodisset, quod nusquam erat: consilium specie quidem Palamedæum aut Sisyphium excogitavit, re autem fatuum ac ridiculum. Omnium rerum in gratiam philosophiæ, quæ à circulo hoc in Prytanęo

tanço alendo coronidém ſcilicet ac ultimam manum exſpectare debet, profundam oblivionem jactat, ſi ergo viris doctis homo noſter adſit, tuto gloriari poteſt ſe noſſe Hebraica, Chaldaica, Thalmudica, Syriaca, Arabica, Æthiopica, Perſica, Armenica, Iavanica, Coptica, Græca, Latina, Turcica, Slavonica, Italica, Hiſpanica, Anglica, Germanica, Belgica, Polonica, Danica, Iſlandica, Ruſſica, & quidquid linguarum aut unquam excultum fuit, aut adhuc hodie excolitur; adhoc omnes Sacroſanctæ Theologiæ, antiquitatis & Hiſtoriæ Theſauros in pectore ſuo eſſe reconditos: neminem omnes juris nodos ſe felicius poſſe ſolvere: nec non Hippocratem, Galenum & Paracelſum præ ſe uno eſſe pueros & tirones, poſſe ſe ſcilicet vitam & mortem ægrotantium certiſſimè præſagire, quin & phreneticos non æris ſono, quod Aſclepiades facere ſolet, mentis ſanitati reſtituere, ſed appoſitis omnigenis dapibus, quas ſi tantum à manu magiſtri accipere voluiſſet, ſuis forte flere & plangere non reliquiſſet; denique Euclidem, Archimedem, Pappum, Ptolemæum, Vitellionem,

onem, Albategnium, Alphonſum, Baconem, Cuſanum, Cardanum, Copernicum, Rheticum, Stevinum, Keplerum, Tychonem, Zarlinum, Merſennum, Clavium, omneſque Aſtronomos, Geometras, Opticos, Algebraicos, Staticos, Muſicos unum tantum habuiſſe oculum, ſe vero eſſe Argum illum Mathematicum, ſive ἀετὸν ἐν νεφέλαις, hoc eſt, *aquilam in nubibus*, qui radium ſit ſublevaturus, & ſolus poſthac in erudito pulvere, ſubmotis omnibus aliis dominaturus. Quid rides vero, qui hæc legis? omnia eruditionis κειμήλια ad huc hodie latitarent in penitiori ſcrinio Carteſiani cerebri, niſi ex re philoſophiæ fuiſſet, omnium eorum obliviſci. Fruſtra vero es, quiſquis ad riſum Catonianumuſque jactabundi hominis ineptias detegere ſtudes: ſi enim V. C. jubeas verſiculum quem in Ebræis Bibliis, aut Arabico Alcorano explicare, ipſæque ignotos libros exemplo Latinorum Codicum evolvere & legere paret, ne in præproperum cachinnum erumpas, & forte ilia tibi rumpantur, præmeditata hæc oratio abunde exiſtimationi inter ejuſdem farinæ homines

ſartæ rectæque conſervandæ velificabitur: *Omnia hæc quondam mihi æque explorata ac digiti fuerunt, ſed eorum ut & infinitarum linguarum ac ſcientiarum in gratiam unius philoſophiæ non citra magnam moleſtiam ſponte oblitus ſum.* Papæ quam cate! admirare poſteritas cor Zenodoti & jecur Cratetis!

CAPVT. II.

Carteſianus diſcipulus libris bellum indicere debet, & ſi ex iis profecerit, ſedulo diſſimulare?

DE Gallo Vibio ſcriptores teſtantur, quod tantæ fuerit eloquentiæ, quam poſtea inſaniæ: ei uni autem, quanquam iidem accidiſſe exiſtimant, ut in inſaniam non caſu incideret, ſed judicio perveniret; idem tamen pleriſque Carteſii diſcipulis accidit: quoniam enim deſtinato omnia illa præſidia, per quæ tacite obrepentem inſaniam arcere poſſent, redargunt & rident, ultro & quaſi judicio in illius præcipitia ruunt neque enim tantum omnium, quæ unquam didicerunt, ut ſuperiori capite oſtendimus, oblivìſci debent, ſed amplius libros

libros mutos illos magiſtros inſectari. Hæc quippe ſecunda lex in quam deliriorum myſtę jurant: *Cum libris nullum unquam nobis futurum commercium*. Cœci hi cœcorum ducum ſectatores ſi à conſiliis propudio mortalitatis Caligulę fuiſſent, ultro eum ad bibliothecas omnes, & quicquid alicubi amplius librorum ſupererat ultricibus flammis conſumendū extimulaſſent. Libris redivivi Flavii non utentur, quia non uti videtur Carteſius. Si quæras cauſſam è veſtigio reddam. nihil cum Ariſtotele, quo longe ſibi & ingenioſiores & ſapientiores videntur, commune habere debent. Ille enim licet portentoſo ipſo Platone teſte, præditus eſſet ingenio, ἀναγνώστης tamen dictus eſt, quod eſſet lector infatigabilis. & χαλκεύτηρος plane, ut Græci dicunt, ac ſititor inexplebilis. At belluinam legem propius expendamus? Si infeſto odio libri digni, cur bonus Renatus cum ſua pullicie paſſim experientiam crepat? Aut an ſibi perſuadet, *hominem nondum ſenem* ut de ſe ipſo loquitur in Epiſtola ad Dinetum pag. 163. omnium rerum naturalium exactam & minime fallacem

experientiam habere posse? nisi forte somniet abunde experientiarum eum habere qui novit horologium, baculum cœci, cœmentarium, & paucas alias similitudines, haut dextre tornatas, & minus feliciter adhuc applicari solitas. Omnium rerum exactam experientiam, unus homuncio, qui raro ad octuagesimum annum pertingit, nequaquam habere potest. Ut priorum experientia in rebus naturalibus, posterioribus prosit, paulatimque perfectam naturalem historiam, quæ Physiologiæ ac Medicinæ certissimum fundamentum est, gignere possit in publicis tabulis, sive libris, opus οὐκ ἀξίους ὀβελοῦ existimat, & secure contemnere audet, haut magis potest *quaslibet difficultates in scientiis resolvere* (ut omnium Thrasonum ineptissimus Renatus de se ipso gloriatur in Episc. Ded. Meditat. pag. 5. Ed. Elz.) ac cœcus colorum omnium naturam explicare. Deinde quisquis omnium, quotquot unquam vixerunt, philosophorum sententias ad examen non tantum vocare, sed citra difficultatem quoque condemnare audet, nequaquam peregrinus esse potest in libris, quibus eorum dogmata cum

cum rationibus proponuntur: ut non ignorat ipse noster, quando passim in qualibuscumque responsionibus ad examen Meditationum, ignaro lectori persuadere studet, adversarios, qui sæpe ingulum petunt, minus candide suam mentem interpretari, quod haud accurate ea, quæ patientissimo etiam lectori nauseam pariunt, legere & relegere dignati fuerint. Videat vero homo, qui aliis legem hanc præscribere audet, qua conscientia libris bellum indicere possit & tamen omnium sententias librorum monumentis mandatas condemnare nisi forte probare possit se ducibus meditationibus ea etiam cognoscere posse, quæ ex unis libris innotescunt. Sectatores vero, mortalium superbissimi, serio apud se cogitent, an quando Pelopis, fatui medici exemplo omnium se rerũ caussas & effectus scire jactant, dissentientes & aliena dogmata amplexos citra calumniæ crimen aut condemnare, aut saltem ridere possint: quandoquidem ipsi ad ravim usque non tantum in libellorum quisquiliis, sed Academicis quoque auditoriis clamant, se explodi & oppugnari ab iis qui sua do-

gmata neque cognoſcunt, neq; chartaceis tabulis inſcripta aſpicere dignãtur. Etenim oblivionis alumni, qui nullos libros contrectãt, ſalva conſcientia aliorum dogmata ex ſola librorum lectione innoteſcentia condemnare non poſſunt: hoc enim ſi faciant, ab omnibus habendi ſunt αὐτοκατάκριτοι. Deniq; ſi librorũ lectio philoſophanti nocet, quorſũ Renatus des Cartes libros ſcribit, eoſque omnibus caveis eruditorum pariter & indoctorum obtrudere laborat. Si præſumeret vivere ex præſcripto familiæ Scepticorum, (quam dum evertere laborat validiſſime erigit) audire deberet Arceſilæ Academici conſilium: docuit enim Pyrrhonis ſectatores libros propterea non eſſe aut ſcribendos aut evulgandos, ne ea, quæ operoſe à pręceptoribus in ſcholis inculcãtur, ab elinguibus magiſtris per certiſſimã ſequelam evertantur. Sed noſter per omnia ſimilis eſt Enthuſiaſtis, David Georgianis, VVeigelianis, ſimilibuſque fanaticis, qui ſine miſſione quidem clamant præter Academias & Scholas, omnes libros, unis forte Bibliis exceptis, abolendos eſſe. Nolo amplius in anteceſſum probare,

poſtea

postea quippe distincte fiet, Cartesium, quicquid aut in Meditationibus aut scripto Gallico, boni habet ut ut etiam dissimulet, aliis qui ante eum vixerunt, & qualicumque rerum lectarum memoriç, debere. Fatale seculi hujus sidus virum bonum quoque afflavit: quæ in libris maxime obviis occurrunt, suo Marte didicisse vult videri. Per Dei gratiam nunquam nos ita insaniemus, neq; enim pudet candide profiteri per quem profecerimus.

CAPVT III.

Cartesianus Philosophus Renatum des Cartes ut alterum Pythagoram suspicere, imo adorare debet.

AD principatum in republ. literaria obtinendum compendiosissimum subsidiũ authoritas confert; ea enim rationibus omnibus potior, sæpe ipsam veritatem submovet, industriosq; ac doctos ejus assertores adeo percellit, ut remissiores certissimç sententiæ patroni fiant. Quemadmodum vero in circulis eruditorum varia Helenæ hujus commoda sunt, ita hoc nequaquam ex postremis est, quod securum contra quorumcunque objectiones eum reddat, si hoc

si hoc Medusæ caput ostendat, opponens mox pisce magis mutus redditur; cui facillimum alias est confodere trisulcis telis sublestam opinionem, sub unius sępe viri existimatione velut septemplici Ajacis clypeo (ita in vulgus jactari solet) latitantem. Exploratum hoc habuit Samius Pythagoras, versipellis magis quam rationalis philosophus: exemplo enim Delphici Apollinis tripoda divinumque afflatum jactavit, quo incauti discipuli decantatum illud ἀυτὸς ἔφα amplecterentur, proscriptaque è Schola ratione, una valeret authoritas: norat quippe recoctus Sisyphus neminem judicium suum adhibere, & ad alienæ sententiæ examen intendere, quando ratum habet illud, quod ab eo, quem errare non posse putat, judicatum videt. Hinc & Græci soni decus Aristophanes, quo invidiam immerenti Socrati crearet, eum ἀυτὸν vocavit; quasi schola ejus similis foret Pythagoricis conventiculis, ac in ea præ ratione, quæ in philosophia præ cæteris attendenda est, una docentis authoritas valeret. Pythagoricam hanc authoritatem, quam nullus ex melioris notæ

notæ philoſophis poſt primum ejus architectum unquam vel affectavit, (ſibi Dominus noſter Renatus arrogat) non tantum quando in editis ſcriptis ſemet Philoſophicum vatem jactat, *unius rationes ſint omnium accuratiſſimæ & evidentiſſimæ, quæ ab humano ingenio ſciri poſſunt*;(ſic enim loquitur compendium ſcilicet omnium hominum, vir πάντων ἀντάξιος ἄλλων, in ſynopſi ſex Meditationum pag. 5. & 6. qui tamen paſſim modeſtus haberi cupit) ſed maxime quando à diſcipulis cæcam obedientiam exigit,eoſque in hanc quaſi legem tertiam (ut liquet tum ex praxi, tum ex philoſophandi methodo) jurare cogit: *Carteſii præceptoris authoritas inſtar omnium rationum futura eſt*. An omnes, qui homini deliro quid tribuere videntur, æque ad ſervitium nati ſint, ego qui in extremo Belgii angulo doceo, dicere non poſſum: hoc unum ſcio, philoſophum quem Carteſii admiratorem, & miſerè ab illo infatuatum aliquando rogatũ ab Ampliſſimo quo viro; Quidnam ageret in Academiâ, reſpondiſſe ſe auditores decipere (docebat autem receptam philoſophiam), philoſophatu-

rum vero serio, simulac typis Cartesianę Meditationes exscriptæ essent. Quâ conscientiâ ejusmodi Dubitantios imposita provincia defungi existimandũ est? De cathedra loquuntur, salario annuo fruuntur, ex privatis collegiis munuscula cogunt, ut incautos scil. improvidosque auditores decipiant. Etenim mirandum viros prudentes seriosque propriæ existimationis adeo securos esse posse. Si ex asse saperent, Iudæorum modernorũ prudentiam imitarentur; quanquam enim multa se ignorare lubentes fatentur, perplexorumq; doctorem Eliam exspectant. qualiscunque tamen scientiæ demensum, quo in præsens gaudent, quam diligentissime ab omnis fraudis contagione vindicare laborant. Ferendum foret si à Cartesio magni hiatus promissore aliqua Philosophię perfectio exspectaretur: at intolerandum præ illius excremẽtis omnes solidioris philosophiæ dapes aranearum telis accenseri, ex quibus aliquando edulia apparasse Heliogabalus dicitur. Sues præ unguento sordes affectant: catillonumq; alpha Philippus apud Minidium hospitem Casini, quum appositum è proximo flumine lu-

ne lupũ gustasset atque exspuisset. Multis infirmi judicii viris sententię absurdissimæ quoque si tantum novitatis speciem præ se ferant Gangeticæ & Ægyptię aves videntur, prę quibus reliqua omnia fercula contemnenda, atrisq; calonibus mittenda. Qui mendacibus deliciis nauseabundum stomachũ pascunt, non tantum manescunt, sed omnis etiam eruditionis succus, quo surgere ante videbantur, paulatim in iis decoquitur. Præter philosophum, unus adhuc notus, qui infelicissimo veritatis sacerdote his coloribus in Epistola ad Dinetũ p. 174. & seq. describitur: *Doctor quidam Medicinæ, vir acerrimi ac perspicacissimi ingenii, atque ex eorũ numero qui quamvis Scholarum Philosophiam recte didicerint, quia tamen ei non credunt, & sunt ingenii, non ideo multum superbiunt* (exemplo sc. modestissimi mortalium Cartesii) *nec se admodum doctos esse fingunt, ut aliis quibusdam in more est, qui ipsa sunt inebriati: Legit Dioptricã meam, & Meteora, cũ primũ edita sunt in lucem, ac statim aliqua in iis verioris Philos: principia contineri judicavit: Quæ colligẽdo diligentius, & alia ex iis deducendo, ea fuit sagacitate, ut intra paucos*

menses integram inde Physiologiam concinnarit, quæ, cum privatim à nonnullis visa esset, eis sic placuit, ut Professionem Medicinæ, ibi tunc forte vacantem, pro illo, qui autem ipsam non ambiebat, petierint & impetrarint. Ita professor factus officii sui esse putavit, ea potissimum docere, propter quæ ad illud munus vocatus fuisse videbatur: Præsertim cum ipsa vera esse; ac quæcumque cum iis pugnant, falsa judicaret. Elogio autem hoc, longe augustiori quam unquam à patria Academia (in qua docet) impetrabit, *vir acerrimi* scilicet *ac perspicacissimi ingenii* condecoratur, quia obsequio reliquos magistri Renati sectatores serio superare laboravit, ex quo eodem mecum die Professioni initiatus est. Adeo quippe redivivum Pythagoram suspicit, ut nõ dubitarit lepidæ Physiologiæ, quam privatim adolescentibus aliquibus dictavit ac prælegit, carmen hoc Academico professore indignissimum, mox pag. 1. post laudes scientię naturalis propriasque, præscribere: *Si vestigiis & principiis Nobilissimi viri Renati des Cartes libere insistens, hic plusculum à receptis quorundam opinionibus recessero, amor*

anti-

antiquæ & charißimæ veritatis, quæ hæc à me extorquet, apud æquos rerum æstimatores, me, ut spero, à calumniis vindicabit. Vt mutuum muliscabunt. Philosophia Cartesii est antiqua & charissima veritas. Quis dicit? Medicus. Sed meconu sine teste loquenti credendum? Non videtur. An vero instar redivivi Carneadis caput helleboro adeo expurgavit ut omnem veritatem uno mentis intuitu cernat? Quis credat: ut enim in publica Disputatione illi doctiss. medecinæ studiosus sub præsidio collegæ, alterius in eâdem Academiâ Medicinæ Professoris, viri longe eruditissimi & experientissimi Coroll. XVIII. exprobravit, ex eorum infelicium Botanicorum numero est, qui secundum novæ, sed sapientibus omnibus ignotæ Philosophiæ Botanicæ scita existimant licere, *Plantarum nomina ignorantibus, aliena nomina ignotis plantis indere.* Quod effatum, si quod, per omnia primæ Cartesii legi, de qua cap. I. hujus sectionis actum est, respondet. Quisquis enim, antequam serio philosophetur, omniũ oblivisci debet, secure quoque nomina absurdissima, exemplo Pyrrhoniorum, finge-

fingere potest. Ex animo vero doleo, quod Calvisio Sabino homini diviti ἑύρημα hoc ignotum fuerit: cum enim Seneca teste, ita memoria nulla esset, ut illi modo Vlyssis nomen excideret, modo Achillis, modo Priami: quos tam bene scil: noverat, quam pædagogos; & tamē eruditus haberi vellet, compendiariā ad eruditionem viam excogitavit. *Magna summa servos emit: unum, qui Homerum teneret: alterum, qui Hesiodum: novem præterea Lyricis singulos assignavit. Postquam vero hæc illi familia comparata est, cœpit convivas vexare: habebat ad pedes hos, à quibus subinde quum peteret versus quos referret, sæpe in medio versu excidebat.* Longe compendiosiori semita ad ostentationem eruditionis, omnium literarum ignarissimus grassari potuisset, si ex Cartesii, & boni Medici præscripto quascunque enunciationes in fœcundo cerebro cusas pro Homericis aut Hesiodicis versibus obtrusisset. Album si vocetur nigrum, *aut Helleborus ferulaceus, Doronicum Americanum*; non peccabitur tamen, quia falli non potest epoptes scil: antiquæ & charissimæ veritatis, & quod caput, obsequentissimus Renati

des

des Cartes diſcipulus. Ridete quotquot ſplenem habetis, ἀπόδειξις infallibilis novæ philoſophiæ hæc eſt : Non fallitur aut falli poteſt philoſophus Carteſianus , quia des Cartes hoc dicit ; ac per regreſſum , des Cartes non fallitur quia hoc philoſophus Carteſianus dicit. Vt manus manum lavat. Quotquot Carteſium ſectari vultis, oculos vobis eruite , Iudicium effurcillate , mentem captivate, fide tantum implicita opus eſt ; In Philoſophia credere debes , quod Cartes credit : & iterum Cartes tenetur idem credere , quod tu credis. Quotquot has compedes menti ſuæ injicere nolunt , neque Carteſii amici , neque *dociles* ſunt. ne vero noceant obloquendo, & nugas hominis delirantis proſtituant, in anteceſſum ferreis convitiis contunduntur, & ut hominum indoctiſſimi traducuntur ; quemadmodum nuperrime quis eruditiſſimus ex Societate Ieſu Profeſſor, & Celeberrimus pientiſſimuſque Theologiæ Doctor Medici non tantum collega ſed promotor præcipuus experiri debuerunt. Quamdiu in gradu perſtabit hæc hominis authoritas philoſophia quo-

queque ejus apud servilia ingenia adorabitur, eruntque inter philosophicarum rerum imperitos *evidentes & certæ* opiniones Cartesii (pag. 174. Epist. ad Dinetum) quamdiu nemo ex philosophis obloquetur. Inter indoctos, si quis authoritate tantum polleat, tam facile philosophus salutari potest, quam Theologus, aut Medicus. Authoritatem autem hanc concilia ut plurimum aut eruditionis sapientiæque opinio, quam facile quis apud imperitos sustinere potest; aut animus eorundem vitiorum, quæ suadentur ab eo qui μέγας σοφὸς salutari cupit, sive conscius sive capax. Sic sectatores nō tantum invenerunt mortalium absurdissimi Marcion & Manes, totiusque Orientis seductor Mahumethus, item patrum memoria David Georgii, cui & ex purpuratis haut pauci adhæserunt, nuperrimeq; Ioannes Torrentius artis Lenoniæ celebris per Bataviam professor; verum etiam ea sapientiæ diffusęque eruditionis existimatione inter suos gavisi fuerunt, ut majorem homo ejusdem farinæ Cartesius sperare vix possit. Interim sapiens & quisquis cor habet, risu excipiet plano-

rum omnium ineptias, doctrinamque eorum exemplo Athenodori, similem judicabit esse Tantali hortis, instar eorum enim cum nihil sit, ignaris tamen imposturarumque imperitis aliquid esse videtur. Postremo, omnes quos Renatus seduxit, serio rogo, an non rationis lucernam, per quam tamen omnia investiganda ac illustranda esse clamāt, exstinctum eant, quando neque rationibus, neque demonstrationibus (quæ in speciem tantum jactantur) moti, cœca obedientia amplectuntur, quæcumq; à magistro in somnio forte excogitata, ut immotę veritatis oracula proponuntur. Qui rationalis philosophus audire cupit, omnia non ad fallacis ut plurimum authoritatis libellam, sed rationis Scripturæ ancillātis amussim exigere debet. Nisi forte propterea extra errorum fines se consistere existiment, quod in Epist. ad Dinetum pag. 176. *honestissimi & ingeniosissimi* vocantur. Eodem per omnia modo David Georgii, non minus quam Cartesius ingeniosus vir, in quadam epistola ad Hassiæ Lantgravium nō erubescit ringente frustra veritate, scribere optimum quemque

que omnesque pacifici Euangelii fautores suam doctrinam sectari. Si possit, nominet mendax philosophus illos honestissimos ac ingeniosissimos quosq;, qui aut Medicum fuerint sectari, aut utroque pollice suam philosophiā approbarint. Contrariū etenim liquet ex iis quæ acciderunt in Academia illa ubi Medicus docet, nec non ex septem aut pluribus viris doctis, qui à se impetrare potuerunt, ut male cohærentes Meditationes de prima Philosophia examinarent, item omnibus illis qui à superbissimo authore provocati nondum in vulgus editis scriptis librum Gallicū excusserunt, quibus bonus Renatus responsum adhuc debet, ac forte æternum debiturus est: ne quid dicam de omnibus, quæ in orbe Europęo sunt Academię & Scholæ, quas certo scio ad unam omnes Cartesii novam philosophiam carbone notaturas, unoque plebiscito cum Taurelli, Gorlæi, ac Bassonis deliriis proscripturas esse. Reliqua quæ movere quem possent, ut universa in philosophia dogmata ad regulam Cartesianę authoritatis exigat, infra Sectione secunda expendemus: omnia vero illa tam male cohæ-

rent,

rent, & absona sunt, ut si quis iis se moveri patiatur, exemplo *cæmentarii* minus dextre in proscenium meditationũ producti p. 138. ad medicum ducendus sit, non eum quidem qui *Helleborastrum Helleborum verum nigrum* vocat; sed qui orationis Suada ęgros mentis sanitati restituere valet.

CAPVT IV.

Cartesianæ philosophiæ sectator spei plenus esse debet, & à magistro omnium dubiorum enodationem aliquando exspectare.

CArtesius non contentus ad omnium rerum oblivionem sectatores suos dementasse, amplius eos videntes & vigilantes somniare jubet, vice Calliroes, aut Phrynes exhibendo illis divã ἐλπίδα aut Spem, quam haut incommode Plato vigilantium somnium vocare solet. Ne quis enim ex discipulis, magni promissoris pauca dogmata ad digitos revocet, & ex horto aut ad Academiam, aut Lyceũ redeat, ante omnia spei auctoramento eum invitat, & quasi in legem hanc quasi quartam ex animi sententia jurare compellit: *Semel si Cartesium sectari incepero, nunquã ab eo divortiũ faciã,*

sed

sed spe plenissimus eorum etiam resolutionem ab eo aliquando exspectabo, quæ alii ab homine quo cognosci non posse, frustra jactant. Vt vero legi, quæ ex novitiæ philosophiæ præscripto sectatoribus ferri debet, ipsius quoque præceptoris praxis respondeat, passim in libellorum ineptiis, vice scitamentorum solidioris philosophiæ, spe ac incerta exspectatione pascit. Ita enim ut alia multa loca omittam in Epist. ad Dinetum pag. 165 *Spero*, inquit, *me veritatem, eorum omnium de quibus in Philosophia solet disputari, tam clare esse expositurum, ut quicumque illam quærent, perfacile ipsam ibi sint inventuri.* Vt vero animose sperare hominem liqueat, alicubi etiam sperare audet sua deliria locum inventura esse circa doctrinam de Transsubstantiatione; cujus occasione se Romano-catholicæ religioni (*parcus* alias *Deorum cultor & infrequens*) favere profitetur, in gratiam scilicet Patrum Societatis Iesu, ad quorum asylum fugit, quo ab iis defendi possit contra doctissimum Mersennum aliosque Theologos & Philosophos Gallos, à quibus inflictas plagas pertinacius persentiscit, quam ut dissimulare

mulare queat. Ex re vero eſt verba expēdere, quo omnibus liqueat hominem non minus ab oblivione, quam ſuperba ſpe magis magiſque dementari. Sic vero loquitur ſub finem quartarum Reſponſionum pag, 294. Edit. Elz. *Quapropter ſi verum hic ſine invidia ſcribere licet, curſim ſperare venturum tempus aliquando, quo illa opinio quæ ponit accidentia realia, ut à ratione aliena, & incomprehenſibilis, & parum tuta in fide,* (an ferre poteſtis Hæreticæ pravitatis inquiſitores?) *à Theologis explodetur, & mea in ejus locum ut certa & indubitata recipietur.* At propius congrediamur cum hoc ſpei magiſtro. Si vult devotos ſibi diſcipulos non fruſtra ſperare omnium nodorum philoſophicorum facilem & expeditam ſolutionem, in antecesſum quædam doceat, quorum magiſtralis reſolutio ſpem in multis animam agentem confirmare poſſit: Gloriatur quidem thraſonicè admodum, ſe, frementibus fruſtra æmulis, ſupra omnes antiquos philoſophos in Meteorologicis tale quid præſtitiſſe, ſed quis aretalogo proprias laudes ad nauſeam uſque buccinanti fidem adhibere velit. Etenim in

riſum

risum erumpere coactus fui, cū sequentia in Epist. ad Dinetum p. 156. & seq. legi: *Iamque mihi videor ejus rei fecisse experimentum circa tractatum quem edidi de Meteoris; cum enim partem Philosophiæ contineat, quæ nisi admodum fallor accuratius, & verius in ipso explicatur, quam in ullis scriptis aliorum, nullam puto esse caussam, cur Philosophi, qui Meteora singulis annis in unoquoque ex vestris Collegiis docent, illum prætermittant.* Nisi enim ab aliis edoctus essem hominem hunc gente ac domo Gallum esse, crederem eum originem trahere ex circumforaneis medicis Italis, adeo audacter & illoto ore sancta sua laudare sustinet, quo imperitis ea obtrudat. Sed per Dei gratiam hoc genus mangonum, paupertinæ eruditionis sordes, non nisi indoctis, ejusdemque secum commatis hominibus, affricare solet. Quicunque nasum habent, propriarum virtutum encomia ægrorum somniis vaniora esse sciunt, Cartesiique vaticinia æstimant ex prophetia quorundam ex ejus discipulis, qui, frustra obloquente quo Clarissimo & experientissimo Medecinæ Doctore, nuperrime Hagæ-Comitis asseverare au-

re ausi fuerunt, ægrum expleuritide animam agentem in sequentem diem certo victurum esse, viroque eximio, & nobilissimę, quam profitetur, arti insultare meditati fuissent, nisi proxima nox cubanti mortem accelerasset, vanamque spem, qua Cartesianæ ἐλπίδος alumni mœstos amicos recreare instituerant, coram toto orbe prostituisset. Nec tantum novorum deliriorum parens Renatus des Cartes in iis laudandis insanit, verum quod non sine ratione quis miretur illius quoque Medicus, qui viderit serio ne cum ambitiosissimo medicorum Periandro eam à philosophia gratiam referat, quam ipse per poësim, minus feliciter cultā, præter opinionem impetravit, atque ex Archidamo aliquo audiat, ἀντὶ χαρίεντος ἰατροῦ κακὸς φιλόσοφος καλεῖσθαι ἐπιθυμεῖς: hoc est, *Pro gratioso medico malus philosophus nominari vis.* Verba vero hominis ex libello contra Collegam edito sublegamus, ita autem se habent in Resp. ad Thesin 11. *Etiamsi omnia naturæ arcana nondum specifice ex nostris principiis, (uti ingenue fatemur) possimus explicare: eo tamen res jam pervenit,) ut iis constat,* qui

qui Principiis nostræ Philosophiæ mundum viderunt, aut Physica nostra fundamenta sunt edocti) ut cælum & terra, stellæ fixæ, planetæ, cometæ, æstus maris, sal, meteora, magnes, stirpium & animalium operationes, lux, lumen, colores, & innumeræ aliæ rerum naturalium qualitates à nobis jam perfecte intelligantur; cum ex vulgari philosophia etiam ipse calor, frigus, humiditas & siccitas, ut alia obvia prætercam, revera sint qualitates occultæ. Quod de falcatis curribus Vegetius alicubi prodidit, in orationem hanc vere convenit, quæ videtur *esse terrori*, post *evadit derisui*. Academicus doctor oblitus Catoniani effati; *Nec te collaudes* &c. instar agyrtarum propriarum mercium instituit præconium, triumphareque videtur, quod philosophiam suam titulo *Principiis Philosophiæ* condecorarit: secundum eandem fandi regulam pueri crepundia sua super regiam supellectilem, & phrenetici straminea vincula quia à se contexta supra ferreas catenas prædicant. Percurre quamcumq; Philosophorum sectam augustum hoc elogium sibi arrogabit; quotquot tamen inter eos cor habebunt elogiũ hoc prement,

ment, & ex alio audire geſtient. Paracelſi ſectatores, Mahumedici phyſici, Thalmudici philoſophi, & quotquot amplius per philoſophię abortum, edita ſunt monſtra, æque commenta ſua in delitiis habent, arctiſſimeque fovent, & tamen quiſquis catus eſt ratium opinionum portenta riſu explodere, quam ſeria lectione percurrere mavult. Si poſſit, bonus vir probet, ſua commenta ex imaginariis ſciendi principiis procuſa præſtare aut Paracelſi, aut Mahumedis, aut Thalmudiſtarum deliriis, quemadmodum enim hi cerebri ſui excrementa quibuſvis citra ſolidatum probati onum juſculum apponere audent, ita & Carteſii ſectatores quo ſpem ſeductorum confirment pauca novellæ philoſophiæ ſcita per regulam ἀυτυς` ἔφα laudant, vice ſpeciminum admirandæ & nunquam cognitæ, ſuo tamen tempore proponendæ, Cabalę. Liquet hoc in eo ipſo, quem ad partes vocamus, medico: poſtquam enim inſtar aretalogi, quo ſperantibus ſuccurrat, philoſophię ſuæ laudes prædicavit, mox ibidem, ea, quæ dixerat, hoc Philoſophiæ Carteſianæ demonſtrativo ſyllogiſmo probat:

Verum, inquit, *ut compendium iis monstremus, qui per nostra principia nihil explicari & solide demonstrari dicunt, utque illi exungue leonem cognoscant, adeant illi, si placet, Meteora Renati des Cartes, & illa conferant cum Meteoris Aristotelis: item conferant Dioptricam ejus cum aliorum scriptis opticis, & agnoscent opprobrium omne non nobis, sed diversum à nostra sententia opinantibus, delendum remanere.* Argumentum ridiculum per omnia simile huic est: Si quis dubitet an in pretio haberi mereatur physica Mahumedis, adeat ejus Alcoranum ut exungue leonem cognoscat. Lepida etenim ratio; Cartesiana philosophia, est princeps philosophia: quia hoc dicit quis ex ejus discipulis; nec fallitur ille, quia quilibet ejus Meteorologica & Dioptricam legere potest. Item; omnia naturę arcana celebris promissor Cartesius sperantibus in eum aliquando expediet, quia hoc quis ex sectatoribus in libello jactare audet, cui fidem derogare nemo potest. Vtinam polyposi Doctores Græcorum lyricorum principi Pindaro credant; pronunciat enim *μυρίαισιν ὑποκρέκειν*, quotquot, proprias solum

ſolum laudes crepare ſciunt! plauſibilius in gratiam fratrum bonæ ſpei philoſopharentur, ſi exemplo Iohannis Faulhaberi celeberrimi Algebraici Doctoris (qui anno 1613. aut præter propter ex Algebra ſua eruere meditatus eſt Magiam arcanam cœleſtem de Gog & Magog) ſigillis & plumbo Notariorum, hominum ſæpe imperitorum, nugarum ſuarum ſucceſſum muniri curarent. Enimvero circulatoria Philoſophia, quæ omnia ſperantibus dubia eximet, aliis præſidiis non indiget. Nec vates, nec vatis filius ſum; certo tamen mecum, omnes qui naſum habent, credunt ſperantes novæ philoſophiæ alumnos haut alia ſpe paſci, quam ſuis præbuit David Georgii, & in obſidione Monaſterienſi rex ex ſartoria paleſtra Ioannes Leidenſis; aut quam de Elię ſui adventu ad riſum uſque creduli Iudæi conceperunt; aut denique qua ſe oblectant Muſulmanni quos in pulices converſos novus aries Mahumedus in paradiſum transferet, quando Carteſiana philoſophia, ejecta veteri, in omnibus Academiis & Scholis dominabitur.

CAPVT V.

Cartesianus philosophus exemplo praeceptoris omnes homines præ se contemnere debet.

VT omnia quasi consentiant, maleque sana philosophia ad illud gloriæ culmen contendere posse videatur, ad quod alis superbiæ & ignorantię suffulta animose satis aspirare audet; futurorum mysteriorum epoptes generosus omnium aliorum hominum contemptor esse debet, Aristotelemque, Platonem, Thomam, Albertum, Scotum, Averroem, Occamum, Scaligerum, & quotquot unquam in Philosophia fuere celebres, præ præceptore, aquila scilicet in nubibus, cassa vix nuce æstimare. Qui Cartesius enim magnus haberi poterit nisi Aristoteles sit impostor, Scaliger medicus circumforaneus, reliquiq; qui omnium calculo haut male de philosophia promeriti videtur, velut mortalitatis propudia, aut inter indoctos, aut inter eos, qui studiosæ juventuti fumos vendere solent, ablegentur. Secundum eandem morosophiæ methodum

dum Enthusiastę, cum quibus homo noster sola cerebri sui commenta, explosis omnibus libris, aliorumque, doctissimorum etiam, commentationibus, credulis obtrudere studet, ad Divæ superbiæ fanum contendere solent; ut possent enim ipsos Biblicos scriptores, quibus ne Cartesianus quidem nisi impediatur, in posterum parcet, authoritate exuere, & in contemptum adducere, convitiorum plaustris onerare instituerunt, Mathęum Publicanum, Petrum Domini sui proditorem & Ioannem Euangelistam ac Apostolum Christi inflatum adolescentem, sciolumque vocando. Quis ferat hæc? Et tamen ipse Renatus, qui Modestię sacerdos haberi cupit, futurus sectatoribus ad generosum hunc contemptum strenuissimus dux est: Ne videatur enim expallescere posse ad conspectum exercitati adversarii, non quidem ex Apollinis tripode, sed præsumptæ sapientiæ cortina pronunciat (quemadmodum videre est in Epist. ad Dinetum pag. 161.) omnes eos, qui sua deliria utroque pollice probare recusant, *doctos videri magis, quam esse*; imo ut liqueat eos quovis dama fugaciores esse, fingit.

ibid. eos metuere, ne detecta suæ philosophiæ veritate, *omnis doctrina*, vetus scilicet illa quæ tot per secula in omnibus Academiis exemplo majorum ab iis docetur, *abeat in contemptum*. Quasi scilicet inconcussa philosophiæ mœnia facilius ab inanis loquentiæ, stultæque jactantiæ bullis prosterni possint, quam ferreis plumbeisve pilis. In statu manebit philosophia, quæ hactenus omnes Academias Scholasque implevit, quicquid etiam sibi persuadeat ridiculus Nugator. Indoctorum, fanaticorum, & quotquot affectatæ scientiæ nullam habent fiduciam, ordinaria praxis est de se gloriari, sectatoresque docere omnes homines præ uno alterove contemnere excutiātur Mahumedi Alcoranum, Davidis Georgii liber Mirabilium aliique ejus libelli, Thomæ Munceri epistolæ ad varios Germaniæ proceres datæ, Socini Epistolę, similiumque errorum cruda & ridicula scripta; Cartesiique discipulos ad eandem legem adigi liquebit, quam omnes tum in Theologia tum philosophia superbi novatores sectatoribus suis inaugurandis ferre laborarunt. Si homo noster saperet, speratamque modestię

destiæ famam tutari laboraret, in solo conscientiæ testimonio, aliorumque de dogmatibus suis judicio securus acquiesceret; sed quoniam unus in omnibus disciplinis videri cupit aquila, suis in antecessum persuadere conatur reliquos fuisse talpas: si liceret enim aut improvidis adolescentulis, aut curiosis rerum novarum ruspatoribus ex præscripto præceptoris lustrare ea, quæ alii, qui cæci esse finguntur, in Philosophia vidisse perhibentur, nisi per omnia desiperent, conferre inciperent eorum oculos, cum scilicet emissitiis illis novi Argi Renati des Cartes. Quisquis hominem se esse novit, alios sine numero sibi æquales esse non tantum credit, sed lubens etiam plurimos superiores agnoscit. Ridiculę amentiæ est per aliorum contemptum sibi velle asscribere, quæ in hominem quem necdum cadere potuerunt. Facilius est contemnere adversarium, quam superare, si illi qui strenui in aliis contemnendis sunt, fortes habendi essent. Plautinus miles D. Pyrgopolynices supra Milonem Crotoniatem, Cyros, Alexandros & Cæsares

extollendus esset. Rogo vero Cartesii sectatores qua conscientia tot antiquos philosophos ausint contemnere, quandoquidem ex præceptoris lege neque eorum scripta legere possunt, neque, si legerint, meminisse debent dogmatum, quæ in iis proponuntur. An non ipse Cartesius qui ab omnibus vult æstimari, à nemine vero contemni passim invehitur in eos, à quibus dogmata sua vixdum examinata, & ut persuadere ignaris laborat, haut satis explorata, rejiciuntur. Enimvero si secundum contradictionis magistrum nullius dogmata contemnenda sunt, nisi ante probe sint explorata, qua fronte aut ipse audet omnes quos non novit contemnere, aut omnium philosophorũ dogmata, quorum jam diu oblitus est, carbone notare, aut quorsum sectatores suos idem facere docet ac jubet. Non lubet in præsens sigillatim detegere eorum illibatissimam existimationem, quos imperiti contemptoris spicula veneno calumniæ & mendacii imbuta petierunt: Vnum hoc ferre non possum, quod sacer homo in Epistola ad Dinetum pag. 178. (ubi in gratiam Medici sui atræ loliginis succo

ſucco offuſcare laborat admodum Reverendum virum & præceptorem inſtar parentis æternum colendum D. D. Voetium,) ringente ipſo ſole de eo ſcribere ſuſtinuerit: *Quod multos quotidie libellos, ſed à nemine legendos, emittendo, varios authores, ſed ſæpius contra ſe quam pro ſe facientes, ac forte ex indicibus tantum notos, citando, & de quibuſlibet ſcientiis tanquam ſi earum gnarus eſſet audaciſſime, ſed & imperitiſſime, loquendo, admodum doctus indoctis videatur.* Quis tam patiens, ut mendaciſſimi hujus hominis ferreas calumnias perpeti poſſit? quam eruditus ſit Voetius & ab omnibus, unicum Carteſium ſi excipias, Theologis quoque aliarum in religione partium habeatur, in præſens, quia toti orbi notum eſt, non oſtendam: unum hoc à Lectore, quo hominem noſtrum noſſe incipiat ſedulo notari velim: Cum ipſe nullos libros, teſtibus ſcilicet propriis ſectatoribus, habeat, glorieturque paſſim nullos ſe libros legere, imo eorum lectionẽ diſcipulis interdicat, tamen pro ingenii maligni petulantia Voetio exprobare audet quod quos paſſim in Theſibus & aliis ſcriptis citet authores, ma-

gis contra se, quam pro se ad suffragium vocet. Aut ex se Renatus loquitur, aut aliorum ronchos, quod extremę imprudentiæ est, suos fecit. Ex se si locutus est, ęque omnium odio dignus est, ac cœcus quis haberetur, si omnes oculatos redarguere instituerct, quod in dijudicandis coloribus fallerentur, totoque cœlo errarent. Aliena vero vitula si hic aravit, quærat ex suo indice, ubi aut quando Voetius, forte quod eo die purgamentum calcaverit, infeliciter in authoribus citandis versatus fuerit: laudet autores fallaces sc. Voetii testes, simulq; sui Nomēclatoris nomē prodat; nos per Dei gratiam cum Lentulo suram, orbique diras calumniatorum machinationes notas faciemus. Sed de calumnia in antecessum Prologus egit. Cum tantus maledicentię Hercules ipse magister sit, facile ignoscimus improvido illi poëtæ sciolo, qui in carmine addito primę disputationi Physiologicæ Medici, omnibus Peripateticis sic insultare ausus est:

Minerva culta quibus sordet, nec ullus sapit bonos &c.

Quan-

Quanquam non dubitamus quin Gorgias, si resurgeret, idem dicturus fuisset, quod aliquando Chærephonti ejusdem cum nostro homine farinæ dixit: οἶδα γὰρ ὅτι ἡ γῆ που, νάρθηκας ἐπὶ τοὺς τοιούτους φύει; hoc est, *Novi enim quod terra ferulas contra tales progenerat.*

SECTIO SECUNDA

CAPUT I.

Quomodo philosophica dogmata principiis natura notis respondeant. Frustra Cartesius qualicumque suæ philosophiæ antiquitatis gloriam asserere studet.

Cum superiori sectione leges, quæ ut necessarium carmen à Cartesii sectatore observari debent, si ad majuscula sacra admitti velit, expenderimus; deinceps hac sectione mysticam philosophiam ipsam, methodumque secundum quam acquiritur & defenditur, candide ac ex veritatis præscripto, examinabimus. Per philosophiam autem, seclusa ea philosophiæ parte quæ practica dicitur, (quam Socratis exemplo

ſubſidio Algebrę ac Mechanicę ſuæ è cœlo in terram Carteſius necdum evocare inſtituit) potiſſimum Phyſicam & Metaphyſicam ſecundum uſum loquendi novatoribus, contra quos diſputamus, proprium intelligimus, quanquã autem Philoſophiæ pomæriis communiter ipſa quoque matheſis concluditur, adverſariique, excluſis omnibus quâ antiquis quâ recentioribus illius cultoribus, ſoli in erudito pulvere videri volunt dominari, eam tamen in præſens oppugnandam, aut verius detegendam nobis non ſumimus, non quod omnia quæ à Carteſio (quem in matheſi aliquid ſcire & videre nō negamus) in Dioptrica & Geometria proponuntur, alba linea (ut vulgo dicitur) notanda exiſtimemus; aut exemplo quorundam ejus ſectatorum, paucas demonſtrationes Opticas & Geometricas præferendas judicemus utiliſſimis Euclidis, Pappi, Vitellionis, Rami, Campani, Peletarii, Regiomontani, Rhetici, Clavii ſimiliumque heroum laboribus, ſed primo quoniam Renatus des Cartes non tam periculoſe in Matheſii quam Phyſica & Metaphyſica inſtituit eſſe Novator, deinde

inde quoniam ipse, quam vere, infra expendemus, Mathesin, separando scilicet eam à dictis Disciplinis, earum statuit esse fundamentum, certissimumque ac infallibile principium. Vt vero hoc agamus, philosophiam naturalem habitualem homini ex prima creatione cõgenitam fuisse, liquet ex communis nostri parentis Adami (qui omnibus animalibus cura difficile examen ad primum conspectum convenientia naturę eorum nomina imponere scivit) exemplo: cum autem velut appendix divinę imaginis fuerit, non potuit non tolli quoque, postquam primi parentes per spontaneum lapsum imaginem illam amiserunt, nec tamen ita sublata est, quin in homine, etiam irregenito, quædam adhuc ejus vestigia reperiantur, quoniam enim per lapsum non desiit esse creatura ratione prædita, eique etiamnum connascuntur quędam immotę veritatis principia, certo liquet quid superesse non tantum ex reliquiis imaginis illius, qua ante lapsum homo erat excultus, verum etiam remansisse adhuc aliquas scientię congenitæ scintillulas, quas si laboret homo exuscitare,

paula-

paulatim animam suam perficiet ac purgabit, introducendo in sacrarium illius divam philosophiam, quam si quis vocaverit ἰατρὸν τῆς Ψυχῆς, hoc est, *animi medicum*, non erraverit. Collapsa autem per lapsum in homine habitualis philosophia regeneratur partim per experiẽtiam, partim etiam per mentis operationem sive ratocinationem, quæ experientiam acquisitam per sensuum judicium non tantum ordinat, illustrat, & ad debitum finem dirigit, aut per modũ compositionis, aut abstractionis, aut applicationis, aut denique illustrationis ad alia facilius cognoscenda; verum quam maxime qualemcunq; cognitionem expendit examinatque ad immota sciendi principia, quæ haut magis obliterari possunt, ac rationis lucerna in homine, salva manente ejus humanitate, extingui. Omnis autem philosophica scientia, quæ hoc modo, ratiocinando, subserviente experientia tum sensuum tum rationis, progeneratur, dupliciter conspirare potest cum congenitis sciendi principiis, quæ cuivis terminorum non ignaro, audita tantum ob summam sui evidentiam luce meridiana clariora videntur:

dentur; Aut enim per primam intellectus ratiocinationem tam manifesto cũ iis consentiunt, ut quivis, in quo ratio non male habitat, eorum tum veritatem tum evidentiam videre possit. V.C. per primam operationem intellectus cognoscit omnes homines, quos oculi vivere vident, necessario debere ali, si modo supernaturali gratia & extraordinaria Dei virtute non sustententur: immotæ enim veritatis est, vulgatum Physicorũ effatum, omne vivens alitur. Quicquid hoc modo cognoscitur, ab omnibus eodem modo cognoscitur, & non χθὲς ϗ πρώην tantum, sed ab omni ævo sic cognitum fuit. Quædam vero ex iis, quæ cognoscuntur, consentire quidem cum immotis sciendi principiis deprehendũtur, sed plures operosioresq; intellectus operationes v. c. dari materiam primã, hinc quidem liquet, quia secundũ immotũ sciẽdi principiũ non datur progressus in infinitũ, sed quoniã per primã ratiocinationem nequaquã certe sequitur: Nõ datur progressus in infinitũ, hinc multi circa veritatem eam ambigũt, nec potest dici omnibus seculis nota esse. Illis solis enim veritas talis exploratissima est, qui

hoc

hoc modo ab experientia sensuum & rationis progrediuntur, sensuum experientia docet materiam secundam resolvi, v. c. animal mortuum in elementa, experientia rationis amplius ostendit esse materiam primã, quæ ulterius in aliam materiam resolvi citra transmutationem nequit, v. c. aëre resoluto in suam materiam & formam: quoniam autem secundum vulgatum dictum, cujus modo facta mentio est, non datur progressus in infinitum, in hac materia ut prima omnisque formæ, à qua provenit existentiæ actus, experte, acquiescendum est. Posteriorum huic ratiocinationi sæpe falsum subest, aut quando incerta & falsa sensuum experientia pro vera ignaris obtruditur; aut quotiescunque, quod sæpe accidit, naturalia sciendi principia ad eorum demonstrationem advocantur, cum quibus aut neque ullo modo consentiunt, aut an cõsentire possint, in incerto est. Hæc propterea notamus, ut omnibus pateat, quam falsum sit primum κριτήριον, quod ad pelliciendos sectatores, philosophiæ suæ Renatus des Cartes venditare laborat. Sic enim in epist. ad Dinetum,

ubi intempestivè nimis totum mysterium proditur, pag. 170. & seq. loquitur: *Addo etiam quod forte videbitur esse paradoxum, nihil in ea Philosophia esse, quatenus censetur peripatetica, & ab aliis diversa, quod non sit novum; nihilque in mea, quod non sit vetus: Nam quantum ad principia, ea tantum admitto, quæ omnibus omnino Philosophis hactenus cõmunia fuere, suntque idcirco omnium antiquissima; & quæ deinde ex iis deduco, jam ante in ipsis contenta, & implicita fuisse tam clare ostendo, ut etiam antiquissima, utpote humanis mentibus à natura indita, esse appareat.* Vt nihil dicamus de inani jactantia, aut potius putido Cartesii mendacio, (quemadmodum deinceps enim peculiari capite ostendemus, citius in mari venando apros assequaris, quam in ejus scriptis ullam demonstrationem) novis ejus dogmatis non competere antiquitatis titulum in primo gradu, propterea quod ad congenita sciendi principia videantur esse exacta, hinc manifestissimum; quoniam nulli (si forte pauci excipias ab homine nostro dementatos) à se impetrare possunt, ut mox citra examen iis assensum præ-

præbeāt. Quod necessario tamen tā antiquissimis dogmatibus per primam ratiocinationem applicationemque ad congenita sciendi principia evidētet innotescentibus, ut modo ostendimus, cōvenire debet. Si enim *in ipsis principiis humanis mentibus à natura inditis* continentur, quomodo fieri potest, ut quis sanæ mentis homo habeatur, & tam apertis ac antiquis dogmatibus tamen obloquatur? Enimvero quotquot hominum titulo & privilegio gaudent: Solem ac Lunam duo numero sidera esse statuunt, quoniam secundum congenitum, & proinde antiquissimum, sciendi principium: Vnum & unum faciunt duo. Oppido vero frustra est cum tota sua pullicie Cartesius, quando eandem antiquitatem suis qualibuscumque dogmatibus competere somniat. Si possit enim, vel in tribus tantum philosophiæ suæ dogmatibus, hanc antiquitatis prærogativam ostendat. Vanus, si nolit promissor & ridiculus ostentator haberi, doceat nos per antiquissimum quod & à natura humanis mentibus inditum sciendi principium, glandulam pinealem esse unicum

cum sensorium, animæque domicilium: Dari globulos æthereos: Colorem esse globulorum æthereorum perceptibilem in lumine processum & circumvolutionis proportionem: Calorem esse insensibilium particularum variam inter se agitationem vel ad agitationem istam aptitudinem, ne quid dicamus de aliis opinionum portentis. In uno tantum ex quatuor his dogmatibus, si antiquitatem, frustra jactatam, per primam alicujus principii natura noti ad illud applicationem, si ostendere possit, virum eum putabimus, sed quando hoc fiet? Nihil vero ad rem facit, quod quædam principia natura nota locum habere fingantur circa Cartesiana dogmata, aut ad ea in proprio hominis cerebro aut ex falsissimis hypothesibus, aut per incertarum similitudinum ineptam applicationem cusa, qualicumque modo applicentur. Hoc enim si opinionum antiquitatem argueret, deliria Democriti, Marcionis, Valentinianorum, Thalmudistarũ, Mahumedi, Torrentii, & quorum non errorum, antiquitatis plumis se exornare possent. Enimvero si Cartesiana

dogma-

dogmata antiquissima sint, utpote humanis mentibus à natura indita; næ quotquot ante eum fuerunt homines, scuticam merentur, augustoque hominis elogio indignissimos se præbuerunt, quod mentis oculis ea dogmata intueri non potuerint, quæ à natura propriis eorum mentibus indita, & solis quasi radiis inscripta erant. Alterutrum hic valere debet: Cartesium aut esse graphicum impostorem, aut omniũ, quotquot vixerunt unquam, hominum ingeniosissimum & oculatissimum, qui primus potuerit ea dogmata videre omnium mentibus à natura insculpta esse, quæ nullus mortalium ante eum, cognoscere, aut saltem adeo certa ac vera esse, videre potuit. Sycophantis ac impostoribus si accenseri nolit, instituat dogmatum suorum per natura congenita principia demonstrationem, ut applicato principio ad ipsum dogma (hoc enim requiritur) mox omnibus pateat illud adeo certum esse, ut qui hoc negare ausit, extra fines eorum, qui sapiunt, ablegandus sit. Mirum vero carissimum hominem, qui philosophiam suam antiquitatis titulo, in gratiam sectatorum, con-

condecorare gestit, nullum ex antiquis philosophię sectatoribus laudare posse, qui jam olim hæc dogmata per immota sciendi principia explorata habuerit. Quotiescunque de dogmatis alicujus antiquitate disputatur, probatio instituitur per sectatores, qui jam olim & à multis seculis ejus consortes fuerunt; ut exploratum quoque illis est, qui Ecclesię suæ, per qualiscunque antiquitatis titulum, existimationem asserere audent. Omnia si quis pensiculate examinet, mysteriumque antiquitatis hujus excutiat, cognoscet in schola Cartesiana illud dogma esse antiquissimũ, quod in cerebro domine Renati conceptum ac natum est, secundum aut principia, aut similitudinem, quæ sectæ ejus immotorum principiorum omnibus aliis hominibus infrementibus, passim vicarias operas præstant. Extra Cartesium, si quis ex ejus sectatoribus antiquitatem hanc quærere velit, unum ex tribus his probare debebit: Aut quem præter ipsumCartesium priscis seculis eadem per omnia dogmata amplexum fuisse: Aut omnia, quæ Cartesius vice principiorum jactat, à natura omnium hominum men-

mentibus insculpta esse: Aut denique Cartesiana dogmata, quæ ex certis principiis in vulgus notis & vere antiquis profluere jactantur, ita implicite in iis contineri, ut per primam, proximam, & certissimam consequentiam ex iis promanent. At nullum ex tribus his punctis æternum probabitur. Quid restat ergo nisi ut hominis dogmata pro novis deliriis habeantur, quibus antiquitatis exuviæ per jactantiam eodem modo aptantur, ac loquaci corniculæ aliarum avium plumæ.

CAPUT II.

De philosophicorum dogmatum evidentia. Cartesius fucum facit obtrudendo evidentiam propositionis pro evidentia probationis. Quo fine hoc faciat?

VT quarumcunque scientiarum, ita præ cæteris philosophicarum, dogmata commendat evidentia sive perspicuitas. Ea vero, quod bene distinguẽdum, dupliciter alicui dogmati accidit. Evidens enim illud est aut ratione veritatis,

ritatis, quam illi competere per perſpicua & tamen immota principia (quibus accenſeri quoque debet ſcriptura ex rei veritate multis locis quam perſpicace de rebus naturalibus loquens) probari poteſt: Aut evidentia ejus conſiſtit tantum in modo proponendi, cum ſcilicet dogmata adeo dilucide & clare, hoc eſt perſpicuis loquendi formulis nullas in ſe continentibus ambages ac ænigmata, proponuntur, ut ab omnibus, indoctis quoque, citra difficultatem intelligi poſſint. Ea evidentia deprehenditur ſœpe in abſurdiſſimis etiam & ab altera evidentia remotiſſimis opinionibus, deliriis Thalmudicis & Mahumeticis. Quanquam vero indocti Novatores (ut præ aliis in Paracelſi ſectatoribus videre eſt) ut plurimum antiquam veritatem obſcuriſſimis loquendi formulis intricare ſolent, quo nova videantur ea, quæ explorata quoque fuere antequam Theognis naſceretur: alii tamen, qui fiduciam abſurdarum novitatum habent, eas poſteriori evidentia exornare laborant, quo incautis & fallaciarum ignaris perſuadeant, illa, quæ evidenter & plane ab omni-

omnibus cognoſci poſſunt, evidenter quoque & certe demōſtrari poſſe. Inter ſubdolos hos novatores nomē quoque ſuum Renatus noſter profitetur; ut credulis enim perſuadeat philoſophiæ ſuæ primas deberi, eam ab evidentia commendare laborat, ſubdoleque ut dein probabimus, poſteriorem evidentiâ cū priori confundit. Verba ejus hæc ſunt, prout occurrunt epiſt. ad Dinet. pag. 168. *Non eſt mirandum, ſi quis per planas & faciles vias, quas ſecutus ſum, magis promoveat, quam alii multo, majori ingenio præditi per ſalebroſas & impenetrabiles illas, quas ſequuntur*, & iterum pag. 173. *Ex his patet, nullam revera eſſe rationem, ab quam nonnulli tanto ſtudio, reliquos homines ab iis cognoſcendis velint avertere: niſi quod nimis evidentes, & certas eas eſſe exiſtimantes, vereanturne obſint famæ doctrinæ, quam ipſi ex aliarum minus probabilium cognitione quæſiverunt.* Mi homo, antiquæ philoſophię conſulti exiſtimationi ſuæ non metuunt, aut ab armato pepone, aut galeato lepore. Ad aniculas, improvidos adoleſcentulos, & imperitam turbam phaleras. Quam jactas evidentiam dogmatum tuorum, ea haud

haut magis illa certa & vera reddit, ac ſomnium Thalmudiſticum de Leviathan, quod multo perſpicujus & evidentioribus loquendi formulis à Rabbinorum filiis, ac quod ex tuis ſomniis proponitur. Enimvero quis evidentiam narrationis non videt, quando magiſtri Thalmudici narrant; piſcem quendam magnum eſſe, nomine Leviathan, qui cauda ſua totum terræ globum contineat, motumque terræ caudę concuſſione excitet, receſſum vero mari conferat quotieſcumque branchiis aquam attrahit, acceſſum autem, quando, quam attraxit aquam, iterum exſpuit; quis ſanæ mentis tamen inde inferat fabellam evidentia narrationis ſive propoſitionis gaudentem, ſimul condecoratam eſſe evidentia certitudinis aut probationis. Pari enim jure poſteriorem hanc evidentiam quis ſimul aſſignare poſſet Æſopi fabulis, Heſiodi Theogeniæ, & Valentinianorum Æonibus. Libenter damus Carteſianis ineptiis adeſſe evidentiam propoſitionis, ſed ſimul eas gaudere altera evidentia, quæ potiſſimũ commendat philoſophica dogmata, ipſe ut ut omnia agat, nunquam probabit,

bit. Ne videamur vero calumniatorie cum homine agere, age, evidentiam certitudinis ſive demonſtrationis in uno tantum ex ſuis dogmatibus æque oſtendat, ac per evidentiam narrationis proponere illud ſcivit. Lepidus Philoſophus ſtatuit glandulam conariam ſive pinealem eſſe unicum ſenſorium animæque inſtrumentum, quod ut probabile videatur fingit eam moveri, & ne de motu quis ambigat, commentus eſt cum ſuo Medico; *eam in medio ventriculorum cerebri à ſpiritibus animalibus undique cingi & perfundi, motumque fibrillis nervorum impreſſum ad cerebrum diffundi, neceſſario etiam contiguis ſpiritibus, in ventriculis cerebri exiſtentibus, imprimi, ac illorum ope glandulæ pineali, tumque animæ communicari.* Quæ omnia ab otioſo ſpeculatore ficta fateor quidem per evidentiam narrationis proponi, ſed ubi evidentia probationis aut certitudinis? Carteſius, aut Carteſianus quis, ſi vir haberi velit, probet aut per experientiam ſenſuum aut rationis, aut quamcumque aliam evidentem & certam demonſtrationem ſequentia puncta, id eſt, Ventriculos cerebri, inſtar veli, ut alibi

Medi-

Medicus loquitur; ſpiritu animali turgere. 2.Motum imprimi febrillis nervorũ. 3.Motum fibrillis illis impreſſum deferri ad cerebrum. 4.Glandulam pinealem in vigilantibus vel ſponte moveri ab anima, vel fortuito ab arteriis carotidibus eam involventibus. 5.Dato, glandulam conariam moveri, eam eſſe unicũ ſenſorium & animæ inſtrumentũ. Quinq; harum aſſertionũ ubi Carteſianus aliquis evidentem attulerit probationem aut demonſtrationem flagitabimus idem circa alia dogmata, quæ breviter examinamus, Sect. Tertia. Similitudines, & reliquas evidentium demonſtrationum umbras in acceptum nequaquam referre volumus, ſolidas eas eſſe cupimus, & ut Carteſiani adferant, exſpectabimus. Sed tempus eſt ut evidentiæ myſterium, quod philoſophiæ Carteſianæ adeſſe fingitur, penitius paulo excutiamus. *Primo* ergo illud jactatur, quo antiqua philoſophia citra pulveris jactũ & prægnantiũ rationũ inſultum de gradu præcipitetur: in ea enim cũ quędã ſint recõditę veritatis, quæ ab ipſis epoptis vix aut cognoſci, aut verbis adeo perſpicuis proponi poſſint, ut ab omnibus æq; evi-

ter ac fabula de Leviathan cognosci queant, subdolus homo invidiam ei conciliare laborat, quasi propterea ea, novis suis somniis cedere debeat, quod omnia sua dogmata non eadem propositionis evidentia concipere possit. Sed secundum eandem consequentię regulam posset quis extra Canonicorum librorum fines epistolas Paulinas deportare: Petrus enim Apostolus fatetur in iis quædam δυσνόητα sive *difficilia intellectu* dogmata inveniri: item triumphabunt Sociniani, propterea enim amplecti recusant doctrinam de Sacrosancta Trinitate, Deitate Christi, personalitate Spiritus sancti, satisfactione Christi, justificatione gratuita per fidem ut instrumentum amplectens Christi merita, resurrectione hujus carnis, &c. quod in iis non videant tantam propositionis in scriptura evidentiam, quantam efflagitant, quamvis Scriptura certitudinis & probationis evidentiam variis locis contineat. *Secundo*, cum hac evidentiæ Helena fornicantur Cartesiani, quo liberentur onere probationis, abunde enim se officio functos esse arbitrantur, quando evidentia narrationis dogmata sua

ta sua excoluerunt. Vel in uno Cartesii Medico videre est: cum videretur præterito anno sibi in Philosophia Dictator esse, quod aliquos sectatores haberet, sœpe publice privatimque à discipulis rogatus est ut evidenter probaret ea, quæ evidenter docebat: perpetuo autem iis satisfecit, si similitudines (de quibus deinceps dicendum erit) deesserint, generali dissertatione de dogmatum suorum evidentia: quasi vero propterea Cartesiana effata sint oracula & evidenter certa ac probata, quia quis ex sectatoribus ejus testatur ea evidenter ab omnibus cognosci. Hinc idem non dubitat ita gloriari in responsione ad præfatiunculam Thes. D. Voetii: *Certe, ut verum fatear, cum non utar aliis rationibus, quam solis evidentissimis, & quæ à quolibet intelligi possunt, cui tantum sensus communis est integer*, &c. Quasi scilicet nudę propositiones aliquando frigida similitudine, ut illa quæ de cœci baculo, instructæ, sint *evidentissimæ rationes*. *Tertio*, versipellis Cartesius, quod forte ne ipse quidem ejus Medicus animadvertit, dum persuadere sectatoribus suis studet omnia sua dogmata eviden-

ter probata esse, tantum apud eos, quis philosophantium Deus audire gestit: certus enim alios, præter evidentiam propositionis, simul efflagitaturos esse evidentiam probationis, acquiescere nō uno loco se ostendit si tantum cœcæ obedientię affectę fidem hanc implicitam sibi impertiantur. Quod quis rideat enim in hoc contradictionis magistro, alibi fatetur sua dogmata & rationes, quas quotquot sensu cōmuni gaudent, intelligere possunt, à paucis admodū intelligi. Sic enim in Epist. sæpius laudata pag. 115. *Quo artificio facile omnes eos, qui me non norunt, nec scripta mea viderunt, ab iis legendis avertisset; ac etiam eos, qui viderunt quidem, sed nondum satis intelligunt* (N. B.) *hoc est fere omnes qui viderunt, ab ipsis ulterius examinandis revocasset*. pag. 160. loquitur: *Ea est fortuna speciminum meorum, ut quāvis non à multis intelligi potuerint, quia tamen à nonnullis, iisque maxime ingeniosis & doctis, qui ea dignati sunt examinare curiosius, multas veritates; nondum ante vulgatas, continere comperta sunt* &c. quibus verbis innuere vult; opiniones suas evidēter propositas evidenter quoque probatas videri

deri paucis iis, quibus Cartesius instar omnium aliorum hominum est, non intelligi vero, aut intelligi posse ab iis, qui aspernantur illud αὐτὸς ἔφα & præter nudam dogmatũ propositionem, amplius eorum probationem efflagitant. Hoc enim musteæ philosophiæ mysteriũ est, ut evidenter superiori sectione ostendimus; Quisquis Cartesianæ philosophiæ sectator esse cupit hanc sibi legem ferre debet: Quicquid Cartesius dixerit ut oraculum amplectar, & evidenter probatum esse fatebor, si evidenter solũ propositum videro. Deus hominum horũ misereatur, iisque bonam mentem clementer largiatur.

CAPVT III.

Frustra Cartesiani ad asserendam philosophiæ suæ evidentiam discipulorum progressus jactant. Hominibus misericordia dignis nullus invidet.

IActabundus homo Renatus des Carres, quo philosophiæ qualicumq; per evidentiã, quam superiori capite expendimus, applausum cõciliet; gloriatur nõ uno loco de progressibus, quos brevissimo temporis spatio sectatores sui facere solent, hunc pœne in modũ argutãdo:

illi philosophię principatus est deferendus, quæ facillimo negotio addiscitur, & per cujus principia rerum naturaliũ arcana nullo negotio recluduntur. Quo enim, nisi huc, ejus verba spectant, superiori etiam capite à nobis laudata: *Non est mirandum, si quis per planas & faciles vias, quas secutus sum, magis promoveat, quam alii multo majori ingenio præditi per salebrosas & impenetrabiles illas, quas sequuntur.* Vlterius secundum Cartesianæ jactantię regulas Medicus progressus, in Resp. ad præfatiunculam D. Voetii ita loquitur: *Iam diu per novi, magnos auditorum meorum progressus, quos brevissimo temporis spatio apud me faciunt, quosdam male habere,* &c. Quasi vero ringatur philosophus, si quis citius aut in sutoria, aut textoria palæstra, quam in sua, laurum adipiscatur. Iam olim antiqui sophistę quo plures pellicere, & majorem rem facere possent, discipulorum ac auditorum suorum progressus jactare solent. Brevem ac facilem libellum facilius quis ediscere, & memorię scrinio includere, quam difficilem & elephantinum potest. Cartesius pro rara scilicet sapientia diffusas prolixasque

disci-

disciplinas in arctas compendiorum angustias contrahere ut & momento quasi, obedientes auditores docere. Doctrina de male-cohærente sanguinis circulatione secundum ejus philosophiam Theoreticæ Medicinæ est fundamentū, ad ejusque praxim via compendiaria Metaphysica pars philosophię alias ardua, Cartesii sectatori in principalibus dogmatibus exploratissima erit, si per suum COGITO ostendere possit, præter nihil esse aliquid, animam à corpore distingui, Deum existere, animamque immortalem esse. Physica Theoreticarum disciplinarum diffusissima ac maxime jucunda, perfecte tradita creditur, & contendere posse cum quorumcumque tum antiquorum, tum recentiorum philosophorum systematibus, si omnia ea complectatur, quæ Cartesius præ omnibus philosophis exploratissima habere videtur. Secundum eandem methodum idiota quis, qui quatuor aut quinque tantum Scripturę textus interpretari scit, citius Theologiæ candidatum formabit, quam omnes ejus in Academiis Doctores, si possit enim credulo & decipi cupienti discipulo persuade-

re totius Theologiæ cardinem in paucorum illorum locorum qualicunque explicatione verti, antevertet omnium Theologorum labores & sedulam institutionem; quandoquidem hi ignorant quantum ὄνειαρ sive *somnium* injactabundæ ignorantiæ compendiis situm sit. Eodem modo medicastri formari solent in agyrtarum & circumforaneorũ empiricorum conventiculis: facilius enim quis alicujus balsami, cui omnigenæ virtutes affinguntur, confectionem addiscere potest, quam cuncta medicinæ arcana cognoscere. Sed omnia pressius expendamus? *Facilius quis in Philosophia Cartesiana, quam in antiquailla, quæ in omnibus Academiis docetur, proficere potest.* Rationes quæris? quatuor reddam. Id est, si omnium rerum ignari adolescentes, aut quicunque philosophicorum mysteriorum imperitissimi à jactabundo magistro pauca theoremata didicerint, ultra Aristotelem ac Platonem spirare audent, sibique jam tum summi philosophi videntur, quando alii vix ultra cortinam progressi sunt. Grammaticam sequitur superbia, rudimenta philosophiæ in Cartesii schola con-

contemptus & vaniſſima perſuaſio. 2. Quæ in aliorum philoſophorum ſcholis ad ἀκρίβειαν philoſophandi, ut per omnia neceſſaria, ab auditore efflagitantur, ab hac palæſtra ſunt proſcripta, in eam quippe intrare poteſt non tantum logicæ ignarus, ſed altiſſimus quoque ignorantiæ gurges: Carteſio enim ſi obſequi velit, mox feliciſſime philoſophabitur. Non dico quod omnia hic per theoremata nuda propoſita, ut certiſſimo probata habentur, quoniam ex Domini Renati tripode promanarunt, quæ alii philoſophi, naſutiores ſcilicet, non niſi per evidentes probationes confirmata, ſectatoribus ſuis aut proponere, aut inculcare audent. 3. Pauca, imo pauciſſima ſunt, ut modo oſtendimus, quæ Carteſianus ſectator in Philoſophia ſcire tenetur; quid mirum vero breviſſimo temporis ſpatio carmen non admodum prolixum addiſci. 4. Alii, qui philoſophiam docent, auditores ſuos ad libros ablegant, quo in iis repetere poſſint ea, quæ ex præceptoribus ſuis didicere, omniaque,

quæ audiunt, velut ad aliquem Lydium lapidem examinare : immunis vero ab hoc onere est Cartesianus, libros enim quia neque legit, neque, ut superiori sectione ostendimus, legere potest, (pendet enim ab unius Cartesii ore) omnia Cartesiana oracula, quemadmodum Pythagoræ discipuli Doctores sui scita, ediscere potest dum alii in præceptorum suorum opinionibus examinandis occupantur. Sed addit Medicus: *Diu pernovi magnos auditorum meorum progressus, quos brevissimo temporis spatio apud me faciunt, quosdam male habere.* Itane? invidia ibi regnabit, ubi locus misericordiæ est? artem hanc didicit à domino Renato, qui passim videri vult per quorundam invidorum malevolentiam opprimi ac submoveri. Quasi scil. quis ex unctiorum munere pauperum pannos oculo retorto aspicere, aut sani & veri amantes philosophi Epicuro turbã & sectatorum frequentiam invidere cõsueverint. Secure homines mei dormite, & per me quidem, in utramque aurem & oculum : nullus ex philosophis vobis invidet, quia invidia dignum nihil in nugis vestris invenire potest. Cre-

dite

dite homini mentiri haut ſolito: non magis quis ex iis, qui in Academiis Philoſophiam docent quiſquiliis veſtris iraſcitur, ac juris Anteceſſores nupero juris carcinomati, qui ut intra ſex menſes juris Doctorem formare poſſet doctiorem omnibus iis, qui ex Academiis prodeunt, poſt inculcatas qualitercunq; generales definitiones, amplius indicabat legum tum Pandectarum tum Codicis numerum, item quoties in toto corpore aut vocula *Et*, aut *etiam* inveniretur. Agyrtarum & honeſtiſſimarum artium mangonum hoc ſeculo uberior numerus eſt, quam muſcarum fervente Canicula. ut vero omnes, qui cor habēt & quid in re literaria vident, generoſo contemptu contra eos ſe muniunt, ita & improvidam juventutem contra eorum inſidias ex conſcientię dictamine quam fideliter monere laborant. quare & aliquando contra eos ſcribunt, non quod tanti farfari folia putent, ut contra illa ſit concitandus Boreas; ſed ut ea noſſe incipiant, qui aut per ætatem, aut rerum imperitiam omnia dijudicare non poſſunt. Quod ſi Carteſius, homo nimis quam ſuperciliosus

osus, animadvertisset, se ipsum haut titullasset, nec hoc prudentię suæ p. 164. epist. ad Dinetum, specimen edidisset: *Quanto vehementiores in meis impugnandis esse animadverti, tanto pluris me ab ipsis fieri existimavi.* Quorsum, mi homo, cristas tollis? qui contra te scribunt tui tuarumque apinarum nullam habent rationem, sed eorum solum, quos per patricias artes, quibus commenta tua nituntur, posses decipere. Homines seculi hujus Thracibus haut similes sunt, qui per avitam simplicitatem decipi vix poterant, novis rebus nimium quam student, iisque dum inhiant, sæpe haut difficulter circumveniuntur. In tui gratiam quisquis scribere visus fuit, ea quæ menti molestias creant, submovere voluit: quæ utinam velis abjicere, quando in paucis his chartis philosophiam tuam coloribus suis delineatam videbis!

CAPUT

CAPVT IV.

Antiquæ & receptæ philoſophiæ nullum periculum à Carteſio imminet, quoniam verbis tantum ab eo oppugnatur: qua occaſione oſtenditur, quot modis philoſophia illa infeliciter à variis oppugnari ſolet.

PErgimus Carteſianam philoſophiam velut in tabella repræſentare, quæ ut antiquiſſima & evidentiſſima haberi poſſit, antequam ex ſuis principiis nova dogmata procudere inſtituat, omni conatu & molimine veterem philoſophiam ſubmovere inſtituit. in vacua enim arena quomodo regnare poſſit, niſi ante omnium ſectarum dogmata ſemita cedant. affectat autem hæc muſtea moroſophia ὀλιγαρχίαν, & quidem aſtute. Omnes veritatis theſauros ſola poſſidere creditur, reliquæ philoſophantium familiæ nulla delubra habeant, in quibus ſua κειμήλια recondere poſſint. Secundum ejuſdem notis regulas loquaces mendaceſque de circo maximo medicaſtri à popello adorantur, quando per machinationes eorum, ut

ut aliquando accidit, docti & exercitati medici submoventur. Quomodo vero dominus Renatus veteris philosophiæ mœnia concutit & oppugnat? Exemplo Torentiani Thrasonis, verbis. Libet vero ea hic iterum adferre, quanquam supra in antecessum lectori exhibita fuerunt: Ita autem habent, prout occurrunt in Epist. ad Dinet. pag. 169. & seq. *Quin imo profiteor ne unius quidem quæstionis solutionem, ope principiorum Peripateticæ Philosophiæ peculiarium, datam unquam fuisse, quam non possim demonstrare esse illegitimam & falsam: Fiat periculum, proponantur, nō quidem omnes, neque enim operæ pretium puto multum temporis ea in re impendere, sed paucæ aliquæ selectiores, stabo promissis.* Expavescite Peripatetici, & quotquot antiquam, in Scholis & Academiis philosophiam docetis; adest novus ex Gallia Hercules, ut uno clavæ ictu contundat & cōfringat omnes inanium dogmatum substructiones, quas vos nocte dieque fulcire laboratis. Quid fiet si homo noster *sine mente sono* hęc opera vestra difflarit? an non gallam bibere, rugasque ventri indicere cogemini? Trepidarem

vobis-

vobiscum, nisi scirem sermonem hunc inficeto rure inficetiorem esse, vanos hominis insultus substantiales nostræ formæ expertæ sunt, & adhuc instar immotæ rupis in statu stant. λόγοις certare tantum scit Renatus. Verba ejus, quæ occurrunt in laudata sæpius Epistola pag. 204. *In omnibus* (libellis in quibus scilicet disputatur pro formis substantialibus) *nulla, vel minima, ex rationibus Medici, non dicam solide, sed ne quidem verisimiliter est refutata*: haut magis veritatis assertores ferire aut cõcutere possunt, quam prætervolans noctua Atlantem montem. Hoc modo si expugnari posset antiquæ philosophiæ veritas, cujus strenuissimus assertor Aristoteles, jam millies de ea triumphatum fuisset, laurumque saltem Renato, præripuisset Robertus Fluddus; in libris enim variis atheismo-libertinismum spirantibus, tantum vellicando contra Aristotelem præstitit, quantum hic jactabundus minis. Ne vero quis, qui haut exploratum habet antiquam philosophiam inconcusso fundamento niti, præter necessitatem ei metuere incipiat, amplius hoc capite artes notabimus, qui-

quibus, validorum arictum loco, non tantum à Renato, sed aliis pluribus, eo longe doctioribus ac ingeniosioribus, pulsari ac oppugnari solet. *Principio* ergo, quidem existimantes à sanæ mentis philosophis unum Aristotelem, ejusque scripta quæ supersunt, sola, antiquæ philosophiæ compendium haberi, omnibus machinis tum philosophum, tum ejus libros cedro dignissimos, authoritate exuere laborant. Contra illum quidem plaustra convitiorum colligũt, objiciendo ei, quicquid tot per secula quis aut Aristotelico-mastix, aut veri parum curiosus scriptor ab aliis deceptus, de viro supra viros minus candide perhibuit. Quasi vero adversariorum, imo juratorum hostium, testimonia contra insontem quem, ad eum condemnandum audiri debeant, aut viri boni existimatio lædi possit per rumusculos ab Outide quo de eo in vulgus sparsos. Eodem modo atheus quis benedictum nostrum Salvatorem Christum convitiorum fuligine offuscare posset, si ex historia Euangelica Pharisæorum, Sadducæorum, aliorumque diaboli clientum calumnias, quibus

ipsam

ipsam innocentiam gravare voluerunt, colligeret. Quod ad scripta, in iis multa redarguunt, sed nihil ex iis lædere potest philosophiam antiquam, quæ ubique, pauca si excipias commata Aristoteli propria, in illis proponitur. Multa ergo ea esse clamant, quasi hoc quisquam unquam negarit. Aristotelica scripta instructum quidem antiquæ philosophiæ promptuarium sunt, non tamen perfectissimum ac ad unguem factum systema: ad hoc quisquis in iis versatus est, novit quædam in illis explicite, quædam vero implicite contineri. Dein ταυτολογίαν carpunt, quasi vero quædam quæ suo loco plene pertractantur, alibi incidenter non liceat attingere. Tertio obscuritati infesti sunt, sed ante bellum indicerent suæ ignorantię. deridēdū se cæcus propinat, si lucis, quam animadvertere non potest, obscuritati irascatur. Quarto, contradictionum cogunt acervos, sed simul totidem putidæ inscitiæ, & ingenii ad calumniam compositi, trophæa erigunt. Quinto, methodū carpunt: verum ante inquirere deberent in leges ordinis, quem philosophus ut quoque tracta-

tractatu servare instituit: Denique, diversum tractandi modum ferreis conviciis contundunt: sed simul observare debuissent diversam rerum materiam styli diversitatem exigere. Alio charactere in Euangelio, alio in Epistolis, alio in libro Revelationis Iohannes utitur, & tamen tria illa scripta ex æquo authorem habent Spiritum sanctum. *Secundo*, belli quidam homines, antiquæ philosophiæ, quæ thronum in omnibus Academiis ac Scholis erexit, muros se funditus evertere somniant, quando placita sua per omni ab ejus principiis discrepantia & in vulgus jactata aliqua, ex iis nempe qui sacra novaturiendi prurigine laborant, sectatores inveniũt. Paupertini ingenii homines, & clientes nullos videre soliti, Xerxis equitum peditumque nubes se difflare posse credunt, si tot asseclas inveniant, quot numero Musę sunt. Et cur non? arma quibus pugnant, convitia, & Thrasonismi sunt: nullum veteris philosophiæ dogma oppugnare sustinent, ultro tamen eam cessuram existimant, si dogmata sua, quam longissime ab antiquæ veritatis effatis recedant. *Tertio*, quidam ex his duel-

latori-

latoribus, quo terribiles videantur leones, induunt exuvias Thaletis, Pythagorę, Anaxagorę, Heracliti, Parmenidis, Xenophanis, Democriti, aut alterius alicujus philosophi ex annalium memoria, qui ante perfectam ab Aristotele doctissimisque ejus interpretibus philosophiam, in commune suam sportulam conferre voluit. Lepidi vero homines: ut Aristotelem supprimant, ex Aristotele margaritas suas legunt, quarum subleстam fidem & pretiū nullus melius arguere potest, quam ille ipse, qui quotidie talium plagiariorum manus volens nolens experiri cogitur? tantundem vero perspicaces hi aquilæ præstant, ac si quis abjectis laneis vestibus, quarum hodie usus est, ad veterum pelles rediret, & tamen in vulgus spargeret ejusmodi amictus primum se authorem ac architectum esse, quod ejus usum post aliquot secula revocaverit. *Quarto*, quidam antiquæ philosophiæ genuinum usum ignorant, per omnia eam inutilem esse, & proinde obscurandam incautis persuadere student. Clamantes hos in triviis passim audire est, & multa de philosophiæ usibus ad ravim

vim usque detonantes. Quis audire tamen velit? Calcei Sycyonii concinni tamen & pretiosi erant, quamvis Socrates iis aut uti noluerit, aut uti non potuerit. *Postremo*, nonnulli ex ordine fratrum Ignorantię, vernaculi antiquorum Scepticorum fraterculi, credunt se receptam philosophiam in præcipitium dare, radicitusque extirpare, si infirmiora quædam ejus puncta, cavillationibus quibusdam concutere sciunt. Argute, sic Pyrgopolynicis sociis triumphare solent de imbelli & in armis minime exercitata turba, muscæque exulceratis easdem molestias exhibere, quas aculeo infestæ apes. Sed quis ferat eos, qui hoc modo concludunt: Quædam in antiqua philosophia haut solida per omnia sunt, aut ex certis principiis cognoscuntur; Ergo nullius rei naturalis solidam tradere potest cognitionem, nihilque ex immotis sciendi principiis cognoscit. Argumentum per omnia huic simile: Thraso quis fœminam rusticam prosternere, marsupioque exuere potest; Ergo nihil roboris in toto exercitu est, levique negotio eum in fugam convertere poterit. Tria vero præ cæteris agunt, qui

qui postremi hujus artificii professores sunt. I. Vnum aut alterum placitum, arduum per omnia, & propter dissentientium in variasque partes discedentiũ multitudinem vix explicabile, sine missione vellicant & exagitant; quale verbi caussa est illud in Scholis Peripateticorum de Origine Formarum: iô vero Pæan, quæ hominum est vesania, cantillare audent, si probare possint varias circa illud dogma sententias circumferri, qũod erudite etiã ignorari potest. II. Arietes, musculos, catapulta & quicquid in officina est armorum, adornãt & disponunt adversus secundariam ac ex abundanti adjectam dogmatis alicujus probationem: quasi vero illo murũ subvertat, qui maceriã, qua circũdatur, corruptam multosq; per annos neglectam difficili conatu subjicere potest. In agmine philosophicorũ argumentorũ nõ tantum Achilles & Diomedes sunt, verum statio quoque assignata Thersiti. Enimvero, non quisquis imbelle hoc monstrum prosternere potest, simul etiam cum heroibus illis congredi audebit. Nisi vero per Thrasonismos cerebrum dilapidassent homines, ridicula hæc

virtu-

virtutis pericula silentii velo tegere mallent, quam libellorum quisquiliis inscripta in vulgus prodere. 111. Quod sycophantis proprium est, & antiquis Scepticis perquam familiare fuit (ut ex Sexto Empirico pagina 168. liquet,) si secundaria & leviora argumenta non inveniant, ipsi excogitant, adversariisque suis affingunt, ut scilicet strenui videantur duellatores, quia congredi audent cum larvis, quas ipsi è stramine cõfecerunt. Quod mirandum vero, omnes antiquæ philosophię adversarii, ut ut infesti etiam, in locum dogmatum, quæ omnibus viribus submovere laborant, nihil solidius aut melius hactenus supponere potuerunt; adhoc novarum opinionum bullæ, quantumvis pellucidæ, certarum probationum robore per eos destituuntur, quas tamen cum convitio & cantico ab antiquæ receptæque philosophię alumnis efflagitare solent. Vt in aliis, ita præ cæteris in Renato nostro hoc videre est, qui vetustam philosophiâm jam diu inter præsumpti triũphi fercula ostentasset, si verbis debellari potuisset. Quam leve vero periculum ei à tanto Thrasone immineat ex infe-
lici

lici congreſſu cum ſubſtantialibus formis patet. At progrediamur in detegendis hominis commentis.

CAPUT V.

Feliciter cum antiquæ philoſophiæ dogmatibus Carteſiani congredi non poßunt, quoniam neque ea, neque terminos, quibus proponuntur, exploratos habent.

VT ergo ſecuriores ſunt, quotquot de ſoliditate murorum, quibus antiqua philoſophia circumſepta eſt, aut præ ignorantia, aut animi teneritudine, aut rerum imperitia, ambigunt; notandum etiam atque etiam nullum ad eos aut ſcalas admovere poſſe, aut arietes dirigere, niſi qui exploratiſſimos habeat non tantum terminos, quibus familiariter illa uti ſolet; ſed etiam omnia effata & myſteria, ad quæ ſæpe ſero ipſi interiorum myſteriorum epoptę admitti ſolent. Quemadmodum enim Iuriſprudentiam Romanam nullus oppugnare poteſt, niſi qui omnes juris nodos legumque ænigmata percallet: aut cum Paracelſi ſectatoribus cum fructu congredi, niſi qui myſticos abſonoſq; Bom-

baſtinorum loquendi modos didicit: aut cum Mahumedi delirantibus filiis diſputare, niſi qui in Alcorani phraſeologia exercitatus eſt: aut cum obfirmatis Iudæis congredi, niſi qui Thalmudem legit, formulaſque Rabbinorum præmeditatas habet: Ita nullus mortalium, quiſquis etiam ſit, antiquæ & receptæ philoſophiæ ἄσπονδον πόλεμον indicere poteſt, niſi exercitatus ſit in Scholaſticis terminis; qui quanquam delicatis Tullianorum auribus ingrati ac inſipidi ſæpe videntur, per quam conſignificanter tamen recondita veritatis oracula explicant. Tuam ſententiam, ut ut abſonam, qualicunque phraſeologia concipias aliiſque proponas: alienam vero ſi oppugnare ac de gradu præcipitare velis, neceſſum familiaria tibi feceris technologica vocabula, quibus arcana quæque dogmata explicari ſolent. Hinc liquet quam infelix, ne dicam ridiculus, receptæ philoſophiæ oppugnator Carteſianus quis ſit. præterquam enim quod oblivionis, ut ante notavimus, mancipium, non poteſt meminiſſe terminorum ac dogmatum antiquæ philoſophiæ peculiarium, (modo unquam

quam ea explorata habuerit) ad ea cum ratione examinanda: amplius ipſe ingenue fatetur, ſe nullos alios terminos, aut loquendi formulas curare, quam quæ novis opinionibus qualitercunque explicandis inſerviant. Ita enim Medicus in Reſponſ. ad Præfatiunc. Theſ. D. Voetii: *Nunquam negligo explicationem terminorum ſeu phraſium meæ profeſſionis, quotieſcunque data occaſio id poſtulat, uti probant meæ Theſes quæ magnam partem iis ſcatent: verum majore ſollicitudine ſolidam ipſarum rerum conor auditoribus meis tradere cognitionem. Et certe, ut verum fatear, cum non utar aliis rationibus, quam ſolis evidentiſſimis, & quæ à quolibet intelligi poſſunt, cui tantum ſenſus communis eſt integer, non indigeo ad ſenſa mentis explicanda multis terminis à vulgari locutione alienis: hinc fieri poteſt, ut citius ipſarum rerum veritas, quam trado, addiſcatur, & animo veritatis cupido circa præcipuas Philoſophiæ difficultates ſatisfiat, quam omnes termini memoriæ mandentur, quibus alii ad eoſdem nodos ſolvendos uti ſolent,*

quorum tamen omnium adminiculo nunquam ingeniis paulo perspicacioribus plene satisfaciunt, sed solis tenebris & nebulis animos eorum replent. Sed dato, revera, (quod nunquam tamen quis ex Cartesii sectatoribus probabit) plerosque terminos, quorum usus est in recepta ac antiqua philosophia, inservire obscurandę veritati, an proptérea tamen eorum vim ignorare debebit, qui hoc agit, ut somnia sua, vaniora iis quæ à febricitantibus videntur, ad illud glorię culmen evehat, quod per multa secula philosophia, quam summotam cupit, secure, frementibus omnibus Codris, occupavit? An non ringeretur Cartesianus, si aliquis, qui Peripateticis sacris innutritus est, propterea æthereos globulos rejiceret, quod nunquam eorum in Peripato mentionem fieri audivisset? ut est jactabundus deliriorum suorum assertor, in triviis proclamaret verissimam suam sententiam citra examen proscribi ab eo, qui ipsorum terminorum, quibus explicatur, est ignarus. Si alii eam legem audet præscribere, cur non sirempse lege tenebitur? Si velit discipulos suos infestis mucronibus jugulum

gulum antiquæ philoſophiæ petere, explicet ante terminos, quibus communiter circa dogmata ſua uti ſolet: eos ubi intelliget aggredi poterit veritatem immobili cubo inſiſtentem. Enimvero quomodo ego explodere potero Rabbinorum ſomnia phyſica de Behemoth, Leviathane, bar Iuchne, & Zis ea. item Valentinianorum Æones, ac lex opinionum portenta cubantia in ſinu aut Paracelliſtarum, aut Fluddi, aut Carteſii; aut alterius alicujus erronis, niſi ſimul mihi exploratiſſimę ſint tot terminorum abſonorum centuriæ, quas pro dogmatum ſuorum patrocinio quæque ſecta in aciem educere ſolet. Idem Medicus Primoroſio viro doctiſ. cum non ſatisfacere poſſet commentum de circulatione ſanguinis oppugnanti, in Spõgia pag. 10. & 11. exprobat, quod *in intelligibili* (hoc eſt Carteſiana) *philoſophia parum verſatus eſſet*; inde & in ipſo libelli veſtibulo pagina ſcilicet 3. ea quæ à medico eximio dicta erant, pronunciat *reſponſione indigna ſolo riſu & contemptu refutanda eſſe*: cæterum ipſo viderit an non digniſſimus ſit omnium Peripateticorum contemptu, quando (ut prolixa

inductione ostendere possem) audacter omnia prope Peripateticorum dogmata carbone notare audet, & ut inepta explodere; cum tamen ipsorum terminorum, quibus ea concipiuntur, non tantum se ignarum esse aperte prodat; verum & sæpissime publice privatimque discipulis suis inculcarit, *terminos Metaphysicæ* (quorum in omnibus prope dogmatibus antiquæ philosophiæ maximus usus est) *corruptelam esse omnium disciplinarum*. Vt ipse vero non tantum ἰδῆλα (loquor ex ejus opinione) verum & λυγεὰ didicisse videatur in Resp. ad Thesin 1. Append. D. Voetii pag. 9. sic loquitur: *Dudum Scholarum philosophiam, nominatim logicam, physicam, metaphysicam si non accuratissime, saltem mediocriter perdidicimus.* Mediocriter tantum si antiquam philosophiā didicisti, mediocriter etiam obesse ei poteris: hoc est instar musculi modes ferrum, quod, nisi panis speciem præ se ferre tibi videretur, infesto dente non peteres. Nec præ discipulo sapit Magister Renatus: in Responsione enim ad Iudicium Senatus Academici VItrajectini, quæ inserta est Epistolæ ad

ad Dinetum pagina 200. ut doceat technologemata aut artium vocabula, quibus utitur philosophia, per omnia otiosa esse, hunc in modum ineptit: *Quasi vero necesse sit ut Philosophia, quæ ad veritatis cognitionem est instituta, doceat ulla vocabula, quibus ipsa non egeat; cur non Grammaticam & Rhetoricam potius eo nomine condemnat cum eorum magis officium sit agere de verbis, ac tamen ab istis docendis adeo sint alienæ, ut tanquam barbara rejiciant.* Sed dato, mi homo, vestram philosophiam, hoc est lepida somnia ejus commatis vocabulis non indigere, an propterea tamen, tu qui Philosophiæ agmina tam facile difflare potes, quam ventus folia, eorum ignarus esse debebis? Nisi forte secundum Caballisticam tuam Algebram aliquis expugnare possit castellum, & tamen ignorare vias, quæ ad illud ducunt. Quemadmodum per certas formulas in solitaria tua Schola usitatas, pervenitur ad cognitionem qualiumcumq; tuorũ dogmatũ, sic per artis

vocabula peculiaria receptę philoſophiæ, veriſſima illius effata cognoſcuntur. Quantus vero Grammaticus & Rhetor ſis, aperte orbem doces, Cujus quæſo Grammatica & Rhetorica negant antiquæ Philoſophiæ propria eſſe technologemata, quæ ab illius candidato cognoſci non debeant? quanquam ea ipſa enim non probant ut ſua, aut cultioris eloquii ſtudioſis ad uſum præſcribunt, tamen ultro concedunt ea locum in philoſophia habere, quia ipſę ſimilia, ſibique peculiaria poſſident. Etenim ut nemo v. c. in Grammatica oppugnare poteſt definitionem aut generis, aut ſpeciei, aut participii, ac in Rhetorica genus demonſtrativum, deliberativum, ac juridiciale, item tropum & figuram, niſi probe arteficialiũ eorum vocabulorum vim percalleat, ita & nullus niſi amens, antiquę philoſophię cum fructu bellum indicere poteſt, niſi per technologemata ei peculiaria omniũ dogmatum (aut ſaltem eorum quæ oppugnat) myſteria introſpexerit. Requiri illud in eo, qui receptæ philoſophię mœnia concuſſurus eſt, probe ſciverunt uterque Patricius, Tileſius, Taurellus, Baſſo, & nuper

Fratres

Fratres Bootii, qui ingenue fatentur se ante per multos annos non *mediocriter* solum, verum quam accuratissime expendisse antiquæ philosophiæ dogmata per proprios terminos sibi exploratissima, quam in illa infestum stylum stringere ausi fuerint. Imo, ipsi antiqui Pyrrhonii, quos non sine ratione Lipsius 2. Man. ad Phil.St.dig.4. omnium philosophorum sapientissimos & doctissimos fuisse judicat, quod, quo evertere possent, omnium dogmata exploratissima habere debuerint. Proinde, mi vir, ne orbis fias ludibrium, usquedum antiquam philosophiam, quam tibi ignotam adeo contemnis, probe intelligas, in antro secure quiesce; utque paulatim in terminorum cognitionem pervenias (expende quæso quam faventem adversarium habeas) deligenter perlege Castanæi distinctiones, aut potius Lexicon Philosophicum Goclenii sic satisfacies voto Dn. Renerii quondam à tuâ philosophiâ non alieni, ex cujus ore non semel audivi, cum forte & mihi tuorum mysteriorum salivam movisset, neminem cum fructu tua meletemata posse imbibere, nisi qui quam accuratissime,

nedum *mediocriter*, in antiqua philosophia versatus sit.

CAPUT VI.

Cartesiani, cum sint infelicissimi experimentistæ, experimenta tamen philosophiæ suæ amussim esse cupiunt.

DEinceps expendendum, quisnam Lydius lapis sit, ad quem nova Cartesii philosophia (quæ ante omnia suppressam esse cupit antiquam & receptam illam) omnia sua scita ac dogmata explorat. Non unus vero ille, sed quintuplex est: Experientia, nempe, Ratio, Algebra, Geometrica, & Mechanica, de quoque ordine, & quidem hoc capite, de Experientia. De ea vero non sine ratione alicubi Medicorum princeps Galenus: ἡ πεῖρα μόνη κριθήριον ἁπάντων ἐστὶ βεβαιότατον; hoc est, *Experientia sola est omnium judex certissimus.* ut enim illius usus in vita politica maximos silentio prætereamus, philosophia naturalis sive physiologia per experientiam quam gignunt individuales observationes non tantum est inventa & perfecta, verum per eam

etiam

etiamnum dijudicari debet. Notandum vero, ut ex parte quoque innuimus capite hujus sectionis primo, eam duplicem esse: Experientiam sensus & rationis. Illa est observatio multorum individuorũ instituta per sensuum externorum ministerium; ut si verbi caussa, quis experiatur granũ piperis à se sumptum vim calefaciendi habere, item sumptum à Titio in eo eandem vim exercere, &c. hac instructi sunt non tantum homines illiterati, verum ipsæ mutæ pecudes, quæ quamvis ob defectum rationis ex multis individuis colligere non possint universale; tamen per explorationem variorum individuorum, colligunt abstinendum his esse ut noxiis, utendum vero illis ut naturæ suæ consentaneis. Experientia rationis, quæ priorem præsupponit, unique homini peculiaris est, non tantum corrigit sensuum judicium, quod ob multa intervenientia sæpius falli potest, verum amplius quascunque res naturales per sensuũ experientiã cognitas certa mẽsura & proportione habili subjecto applicare scit, item regredi ab effectu ad caussã, & contra. Quod ut intelli-

gatur notandum triplex experientiȩ hujus officium esse. *Primo*, cum certum sit sensus ob varias rationes, à nobis allatas Disput. 11. contra Scepticos, multoties falli in ipso homine, requiritur ratio, quæ possit aut errores illos corrigere, aut saltem eorum sentientem admonere, quo liquido constat, quid circa quodque individuum observandum sit: quoniam vero hoc unius rationis officium est, accensetur rationis experientiæ. Sic v. gr. si gustus in febricitante Mevio ter, quater & amplius judicet mel vergere ad amaritiem: ratio, quæ novit organum gustus pravo adventitioque imbutum esse humore, ostendit febricitanti posse eum quidem colligere hanc experientiam, mel scilicet sibi cum tali morbo conflictanti visum esse subamarum, non tamen inde licere concludere hanc propriam mellis indolem esse. Hinc eadem ratio, in homine experientiæ sensualis directrix, quosdam monet, ne, aut vacent colligendȩ certæ sensuum experientiȩ, aut si illi vacare velint, nimium non tribuant: V. G. monet myopes, aliosque hebetiori visu præditos, ne suis siderum contemplationi-
nibus

nibus fidant ob oculi vitium, quod liquidis obſervationibus inſtituendis impedimento eſt: Ad hoc docet quomodo vitio, quod turbat experientiam ſenſualem, ſuccurri poſſit per quid à ſe adjuvante eadem experientia excogitatum. ita ſenibus, aliiſque in quibus oculorum acies hebetior eſt, ocularia ſive perſpicilla præſcribit. *Secundo*, quanquam beſtiæ, ea, quæ per experientiam ſenſualem phantaſiæ, quæ in illis rationis loco eſt, commiſerunt, certo modo explorata habent, ſibique aut aliis individuis ejuſdem ſecum ſpeciei applicare ſciunt, non tamen omnia debito modo ac proportione ob defectum rationis quibuſvis diſtribuere ſciunt: quemadmodum hoc homo per experientiam rationis poteſt. Ita equus per experientiam ſenſualem conveniens ſibi eſſe novit fœnum, item bos, & ovis, amplius unuſquiſque novit quantum naturę ſuę conveniens ſit, puta equus novit quantum fœni natura ſua exigat. Vlterius vero longe homo progreditur, cognito enim per experientiam ſenſualem tria illa animalia delectari fœno, amplius per experientiam rationis novit quantum fœni ſingu-

ſingulis ex illis animalibus ſit diſtribuendum. Per hanc rationis experientiam medicus, qui aut per experientiam alteram ſcit Rhabarbarũ bilem expurgare, novit qua δόσει cuique ex ægrotantibus, qui eo indiget, exhibere debeat. Ejuſdem experientiæ uſus in politicis eſt: ſi quis enim viderit hoc illudve conſilium in hoc aut iſto negotio fuiſſe ſalutare, deinceps eodem per prudentiæ leges temperato ſecundum rationalem experientiam ſive privatim ſive publice utetur. Quoniam vero hæc applicatio ſcrupuloſe ſecundum prudentiæ leges inſtituenda eſt, haut male Medicinæ dictator, huc reſpiciens, experientiam fallacem eſſe dixit. *Tertio*, experientia rationis, inſtructa & adjuta altera experientia, ab effectu redibit ad cauſſam, imo à cauſſa ſecundum rationem ſupponentem ſenſualem experientiam deſcendet ad effectum. Quotieſcunque autem hoc facit præſupponit ſemper effectum cognoſci per experientiam ſenſualem, cauſſam autem ipſam nō neceſſario per eam cognoſcit, ſed colligit per rationem, quę dum connectit cauſſam illam cum effectu, neque fallitur, neque falli poteſt: quo-

quoniam ad caussam, quam ratio exploratam habet effectus infallibiliter sequitur. V.C. oculus hoc anno videt plenam lunam certo die obscurari, & quia preteritis annis sæpius vidit, habet ejus effectus naturalis experientiam sensualem: per quam tamen nequaquam constare potest interpositionem terrę inter solem & lunam proximam Eclipseos lunaris caussam esse, neque enim oculus videt opacam & densam terram se intermediā inter utrumq; sidus sistere: Et tamē caussa illa per experientiā rationis explorata est, ea enim attendendo ad omnia quæ circa lunarem eclipsin occurrunt, dicit eam cōtingere ob terrę interpositionem inter solem lunāq; nec falli potest quoniam certo potest prædicere quādo futura sit lunaris Eclipsis, quod possit certo præcognoscere caussā Eclipsis proximam; qua posita, non potest non ipsa Eclipsis poni. Arctissima enim hæc unio nisi inter caussā effectūq; intercedit, fallax habenda est rationis experientia. Liquet hoc manifesto in Cartesiani medici experientia, qui probaturus cor moveri per solam partium dispositionem adduxit *corculum anguillæ, quod è*

corpo-

corpore exemptum per horas aliquas pulsat: ſed ratiocinativam illam experientiam jactatam ad evertendas ſubſtantiales formas fallacem per omnia eſſe, vel hinc manifeſtiſſimum eſt, quoniam tamdiu tale corculum moveri debebit ſecundum ea quæ diximus, quamdiu durabit partium diſpoſitio. Sed cõtrarium oſtendit viſus, qui deprehendit motum ceſſare, ſalva adhuc manente diſpoſitione partium; nec ad rem facit, quod pulſus illius corculi quodammodo reviviſcat *admoto ſanguine & leni calore*: cum enim ſpiritus animales organum ſint formę ſubſtantialis cor moventis, reliquiæ illius (ut etiam in prodromo dictũ nuper) in exempto corde ſufficiunt ad modici temporis pulſum continuandum; qui ubi ceſſare videtur per ſanguinem modice calidum excitatur, quoniam reliquiæ ſpiritus, occultatæ alicubi, hac ratione evocantur. His præmiſſis, iterum notari volumus experientiam rationis præſupponere experientiam ſenſualem, quam non generat unius individui, aut ſingularis actus obſervatio, ſed multiplex & conſtans, ſubſerviente ſenſibus perpetuo ratione, cu-

jus

jus officium est, ut ante notavimus, sensuum judicium dirigere & ordinare. Adeo ut ridendi sint Cartesius ejusque sectatores, qui omnem philosophiam ac medicinam per experientiam (quam crepant) reformaturi, vix majorem ex veritatis præscripto adferre possunt, quam quantam cœcus de coloribus, aut surdus de sonis habet. Certissimum enim est non tantum Cartesianum Medicum, (quem nullus unquam praxi medicæ vacantem conspexit,) verum ipsum quoque Renatum des Cartes (qui omnes horas abstractivis suis cõtemplationibus consecrat) per solam phantasticã experientiã, absq; observationibus sufficiẽtibus, Physicis, Medicis, Chymicis, Magicis naturalibus, Opticis, Musicis, Architectonicis & Astronomicis grassari ad absolvendam omnium scientiarum perfectionem. Et tamen exiguus numero chorus, qui ab eo dependet, antiquæ philosophiæ, quod nullis experimentis sensualibus nitatur, insultare mediumque digitum ostendere audet. Quasi ea paulatim non fuerit perfecta, & ad honoris culmen per gradus ascenderit, omnibus philosophis ac Medicis, qui ab

Ada-

Adamo usque vixerunt, symbolam tum sensualis (quam habeant) tum etiam rationalis experientiæ conferentibus. Neque enim putandum Aristotelem Iudiciosum antiquæ philosophiæ collectorem ac scriptorem, hac experientia destitutum fuisse; omnium qui ante illum vixerant sophorum, imo hominum experientia, ei, facem subactissimę rationis experimentis sensitivis adhibenti, inservijt. Et enim Medicinę parens Hippocrates, quemadmodum alicubi vir supra viros Scaliger animadvertit, & sua & omnium, qui ante eum fuerant, medicorum experimentis nobilissimam artem collegit: ita & Stagirites philosophus ex similium experimentorum agminibus, philosophiæ veteris ac receptæ manipulos conscripsit, non dicam jam de discipuli gratissimi, Alexandri nempe Magni, munificentia, qui diligentissimo naturæ ruspatori, sumptus vere regios, & homines sine numero, ad animalium, quæ ex omnibus terræ angulis ad eum ducebantur; naturam investigandam, suppeditavit. Nec experientia hodie carent, qui in Academiis antiquam Philosophiam docent:

Præ-

Præterquam quod non raro vacant magni voluminis lectioni, in museis suis historias Naturæ, quas non tantum sedulo, ut experimentorum naturalium instructissima promptuaria, evolvunt sed etiam conferunt, examinant, & locupletant, quin & practicos atque experimentorum magistros sedulo consulunt. Si vero ipsi, ut haut raro accidit aliquid, quod antiquos philosophos fugit, observent, mox ut multis mos est, cristas non erigunt: aut per novi experimenti, (exemplum in fictitia Cartesii circulatione occurrit) sæpe suppostitii foetum, velut Alcumenæ prolem novũq; Herculem anti quã philosophiam evertere moliuntur, sed ut grati alumni qualecunque suum inventũ almæ matri (receptam philosophiã signo) donant & cõsecrant, quo magis ac magis perfici possit. Viderint vero experimentistæ Cartesiani ne publicum cum suis experimentis, quæ cum ex libris historiam experimentorum continentibus, (quandoquidem eos citra piaculũ inspicere nõ licet) nimis quam sterilia & paupertina sunt, quam ut adferre queant nisi forte qui vidit venæ sectionem, anguillæ palpi-

palpitans corculum, à stylo magnetico ferro expendit, consideravit cœci baculum, semel atque iterum per opticum tubum sidera, aut gallinarum incubantium ova unam per æstatem contemplatus est, experimentorum gurges haberi debeat, possitque citra ruborem de Cathedra proclamare: (audita in Academia vox est) *Audeo meam experientiam omnium Mathematicorum experientiæ opponere.* Iactabundis illis experimentistis idem quod Roberto Fluddo accidit: qui ut monstrosam philosophiã alicui experimento superædificare posset, finxit ab omnibus sensuum judicio cognosci, corpus vivum levius esse, quam mortuum, cum tamen doctissimus Mersennus contrarium deprehenderit in cane & gallina, celeberrimusque Sanctorius in homine resti adjudicato, nec quemquam contrarium sensus docuerint. Sed an sic experimentorum antistites non fiunt orbis ludibrium?

CAPVT

CAPVT VII.

Ratio, quam jactat Cartesius, non est ratio abstractive, sed subjective, in eo ipso scilicet considerata.

CErtus cum suis sectatoribus Cartesius, parum præsidii novæ philosophiæ commenta, in experimentis inventura esse, ad rationem velut sacram anchoram confugit. Sic enim in Epistola ad Dinetum pag. 202. *In philosophia non ago, nisi de iis, quæ naturali ratione clarissime cognoscuntur.* Rationem animæ oculum in philosophia præ cæteris attendendam esse ille novit, qui eam non tantum humanę sapientię matrem, verum certissimam regulam esse didicit: Interim tamen eadem illa ratio certis circumscribenda cancellis & ad amussim minime fallacem exigenda est, ne forte quid ut rationi consentaneum obtrudatur, quod ab ea quam longissime distat. Distinguendum autem præ cæteris inter ea, quæ ratio à nævis expurgata omnes citra exceptionem homines docet, & ea, quæ huic illive solum, Titio scilicet & Męvio, rationi consentanea viden-

rum quem Narcissum dementavit, existimat se omnibus hominibus superiorem, rationemque suam, male ut plurimum excultam, omnis veritatis certissimam normam esse. Prætexitur quidem à Cartesio novæ philosophiæ ratio, nec tantum ratio, verum ejus etiam claritas: sed ratio ea non exornat omnes qui inter homines censentur, sive non est ratio absolute sic dicta, sed tantum particularis illa, quæ in Cartesio stabulatur, paucisque aliis, qui eum ut redivivum quem Pythagoram adorant. Si neget Renatus, & oracula sua rationis naturalis, simpliciter sic dictæ clamet esse dictata, age ea exploret ad quatuor κριτήρια, quæ semper circa quodcumque dogma, quod evidentiæ rationis est consentaneum, inveniuntur. *Primo* doceat dogma illud promanare non ex axiomatibus, quæ ipse in cerebro suo fabricatus est, sed ex iis, quæ quia semper ab omnibus hominibus eodem modo cognita fuerunt, nec hodie aliter cognoscuntur. *Secundo*, ostendat idem dogma sic rationi consentaneum esse, ut non adversetur experientię sensuali

com-

communi, aut ſi adverſetur, ratio tamen facile ſenſuum judicium, errore deprehenſo, corrigere ac ordinare poſſit. *Tertio*, quoniam evidentiæ rationis dogma illud conſentaneum eſſe jactatur, omnes nebulas, quas ratio circa illud concitare poſſet, per evidentiæ ſolem nullo negotio diſcuti poſſe oſtendat. *Quarto* & quidem præcipue omnium, quæ circa dogma tale occurrere poſſent, tam liquidas reddat rationes, ut omnes, in quibus mens læſa non eſt, videant propterea dogma illud rationis evidentiæ eſſe conſentaneum, quoniam ejus ſubſidio omniũ quæ illud circũſtãt, certę & perſpicuę rationes dari poſsũt. Si poſſit Carteſius, vel uni ſuo dogmati de coloribus quatuor certiſſima hæc κριτήρια citra difficultatem applicare, virum eũ putabimus, illudq; rationis evidentiæ conſentaneum eſſe cõcludemus. Non omnia, quæ huic aut illi homini, rationi conſentanea eſſe videntur, etiam conſentanea ſunt evidentię rationis; huic enim ſi reſponderent, pauci circa ea fluctuarent. Iudicat quidem Carteſius rationi eſſe conſentaneum, dari globulos ęthereos, quia ipſe ut rationi con-

ſenta-

sentaneum tale dogma amplectitur, quemadmodum idem de atomis suis Democritus censebat; non tamen inde sequitur sententiam eam uni Cartesio propriam evidentiæ rationis respondere, rationis scilicet non subjective in hoc aut illo homine, sed abstractive considerataæ: nisi forte vir modestissimus omnes præter se homines à mentis in naturalibus occupatæ nubibus molestias perpeti existimet, se unum vero animam nitidam ac defæcatam possidere. Quo delicio cerebrum ejus saburratum esse, non sine ratione propterea quis suspicetur, quoniam scientię, quam per rationem vult videri acquisivisse eam in Methodo Gallica pag. 20. assignat perfectionem, quæ nulli cujuscunque rei scientiæ in homine post lapsum potuit competere. Non agnoscit enim ullam in se alicujus rei scientiã, nisi per quã ita animus ejus trãquilletur, ut nullã fluctuãdi aut hæsitãdi occasionem inveniat. Cũ illi ipsi tamen qui per Sp. sanct. in corde loquẽtem edocti sunt de salutis suæ certitudine, & cum Apostolo Paulo dicere possunt; *Scio ego cui crediderim*; millenas quotidie dubitandi fluctuandique occa-

ſiones inveniant. Si hoc in divinis iis accidit, qui ipſum Spiritum ſanctum doctorem habent, quid illis non eveniet, qui circa dogmata philoſophica unius rationis, fallacis ſæpe, dictamina audiunt & ſequuntur. At ignoſcendum aquilæ in nubibus Carteſio, nam ὄισθο πέπτωκε. Quam recta interim dogma hoc ad Scepticiſmi præcipitium ducat, infra ſectione quarta commodius docebimus.

CAPUT VIII.

Carteſianæ philoſophiæ neque à Geometria neque ab Algebra ulla perfectio accedere poteſt.

MAthematicas diſciplinas, præ omnibus aliis ſcientiis demonſtrationis certitudine gaudere, imo ſi debito modo quis iis utatur, inſervire philoſophiæ naturali perficiēdæ, nullus paulo humanior ignorare poteſt: tantum tamen iis non eſt tribuendum, ut habeantur infallibilis in Phyſiologia veri regula: imo, citra errorem non poteſt circa omnia phyſica dogmata tanta demonſtrationis evidentia efflagitari, quanta in mathematicis

ticis demonstrationibus comparet. ut enim diversa cujusque scientiæ principia sunt, ita & diversi certitudinis evidentiæque gradus. Alia certitudo dogmatum Theologicorũ, quæ Dei in scripturis loquentis authoritate nituntur; alia Medicorum, quę experientię & rationis aliis suffulciuntur. Vt vero quis erraret qui omnium dogmatum Medicorum æque evidentem demonstrationem, ac dogmatum Theologicorum, efflagitaret; ita & ab errore excusari non potest, quisquis ἀκρίβειαν demonstrandi uni Mathesi peculiarem, circa omnia Physica dogmata efflagitat. Quanquam vero inficias ire non possumus Physica aut Metaphysica dogmata secundum Geometricam methodum aliquatenus tractari posse; quælibet tamen tractatio nequaquam probari, legitimaque haberi potest. Vt enim Geometria vera & genuina nulla alia axiomata admittit, quã quæ ab omnibus secundum rationis quā habent, evidentiam, si liquido proponantur, probantur, & ut vera agnoscuntur, ita & Metaphysica & Physica Geometrico ordine tractanda nullis aliis axiomatibus instructæ esse debẽt, quã quæ

eandem certitudinem evidentiamque præ se ferunt quæ deprehenditur in axiomatibus veræ & abstractive considerate Geometriæ propriis & peculiaribus. Non sufficit axiomata talia uni ac alteri, & forte soli Cartesio videri: per rationis evidentiam ab omnibus talia debent agnosci. Vt in omnibus, ita hic etiam impostorem Cartesius, quemadmodum discere est vel ex solis axiomatibus propositis in Meditationum Responsionibus pag. 184. quæ falso *communium notionum* titulo condecorat. Quis enim v. c. ut communem notionem, aut axioma instar Geometricorum axiomatum certum, decimum axioma amplectatur: neque enim in omnis rei idea sive conceptu continetur existentia aut possibilis, aut necessaria. Ipse Cartesius in Meditationibus Deum ut deceptorem cogitat, cogitando de eo ut deceptore conceptum ac ideam format, quis tamen inde colligat Deum aut possibiliter aut necessario deceptorem existere: Impossibile quippe est, ut Deus, qui omnes perfectionis numeros in se habet, ac summum bonum est, Deceptor existat. Sed præter hunc Geo-

metriæ

metriæ usum, qui, nisi ab authore in abusum transformaretur, ex parte tolerari posset, author longe adhuc alium prædicat. Videri enim vult in Methodo Gallica pag. 22. & seqq. subsidio Geometricarum & Algebraicarum analyseωn intra paucos menses multarum rerum certissimam scientiam acquisivisse. Quomodo hoc à novo Archimede fieri potuerit, discemus quando ei placuerit, hanc novam Geometrię & Algebræ praxin evulgare, orbisque eruditi examini offerre. Ego enim non video quomodo principia sciendi ad Geometricas lineas subacta pro cujusque arbitrio & ratiocinio, & dogmata inde educta Algebraicis numeris quam succincte comprehensa qua talia, animum veritatis physicę studiosum in ejus professionem deducere queant. Si Physicam solum & Metaphysicam methodo Geometriæ ac Algebræ peculiari tractari velit, ejusque tractationem pro sciendi compendio habeat: nihil novi aut excogitavit, aut ad praxin revocavit: sed potius, quemadmodum modo ostendimus, semet summo omnis veritatis amittendę periculo exposuit. Quandoquidem

enim axiomata, & sciendi principia in proprio cerebro cusa, instar Geometricorum effatorum esse ducit, ex uno commento ad alterum, citra ullum erroris remedium, deducitur: Quemadmodum enim in Geometria non potest non periculosissime ille errare, qui neglectis antiquis axiomatibus, quibus omnium hominum sana ratio hactenus assensum præbuit, sua in eorum locum, ut plausibiliora & utiliora supponit; ita & errandi præcipitio in aliis scientiis proximus est, quisquis similibus principiorum somniis indulget; nec ad rem facit, quod ea principia antiqua & perspicua esse jactentur. omnis error, ab illius patronis, simili larva velari posset, nec tamen inde sequeretur, eum veritati, quæ vere antiqua imo ãtiquissima est, præferendum esse. Si vero author velit, propterea animum Geometriæ & Algebræ medulla saginandum esse, quod quædam Physicæ veritates utilissimarum illarum scientiarum præsidio inveniri queant; ante ostendat quæ qualesve illæ veritates sint. Quis enim usus earum scientiarum circa animam rationalem

nalem, aut ut ipse loquitur, mentem esse potest; nisi forte redivivus Argus in ea lineas globulosque animadvertere possit. Circa reliqua principia, ut figuram, motum, quietem, & dispositionem partium, nec non particulas insensibiles, quamvis non negem Geometrica & Algebraica theoremata exerceri posse; ut tamen cum fructu exerceantur, liquido ante demonstrandum esset, quod æternum à novæ philosophię doctoribus non fiet, ea verorum principiorum rationem habere, nec alia esse cogitanda, principiorum illorum loco, quemadmodum Flavii crepant, supponi possint. Quem enim juvet occupari in Democriti atomis numerandis & mensurandis, si liquido ante non constet, eos per totum terrarum orbem volitare, varioque suo concursu, numero, & emergente figura omnium rerum differentias producere. Quoniã vero nimius author noster est in Geometria & Algebra prædicanda, nõ injuria quis, qui erratorum fibras erudita dextra rimari novit, suspicari posset monstri quid ali, & mysteriodes

ſomnium ſpetioſo quo & nitente velo obvolvi. Lineas & figuras admirari ſolent Magorum filii, iique qui imprudenter Magiæ implicitę & interpretativæ conſortes fiunt. Circa numeros vero, ut omnium myſteriorum & arcanorum naturę, imo politicarum quoque rerum interpretes occupari ſolent non tantum jam olim Pythagoræi, & Platonici, verum etiam hodie Caballiſtę, omniſque Magorum & eorum, qui ſubtiliter delirare volunt, pullicies. Si dicat Renatus ſe non putrida quæ grana, ſed pretioſas margaritas in Geometrico & Algebraico agro colligere, edoceat, ſi ſuſpicionem multis eximere velit, ſe non tantum ſecundum alia pręcepta & principia progredi, verum etiam quænam illa alia ſint, quæ ſe invenire jactat indicet, maxime vero quouſque dictarum ſcientiarum terminos patere & extendi exiſtimet: quamdiu enim eos neque definit, neque definire vult, nequaquam extra ſuſpicionem, non ſolum apud ſuſpicaces, verum etiam quotquot prudentes habentur, vivet. Quantum ſpeciatim ad Algebram, in qua author noſter dominari dicitur, quamque ipſe

ipſe pro totius philoſophiæ infallibili amuſſi & regula incautis obtrudit; opinor eam exemplo recentiorum quorundam aut circulatorum, aut eorum, quos unius ſcientiæ cognitio in eruditorum principes ac anteſignanos transformavit, tantum jactari & oſtentari. Hoc enim præſumptionis ſidus multos, qui in Algebra exercitati videri cupiunt afflavit, ut exiſtiment, eam non tantum Encyclopędiæ humanæque ſapientiæ compendium eſſe, verum etiam quoddam cornu Copiæ, in quo omnes cujuſcunque ſcientię & diſciplinę theſauri concluſi lateant & conſerventur. ne quid enim dicam de Faulhabero, aliiſque, qui ſcientię hujus ſubſidio, Cabaliſtarum inſtar, in Prophetis ac Apocalypſi, myſteria uni adhuc Deo nota, rimari inſtituerunt, in circulis paſſim audire eſt ex illius Profeſſoribus, eam viam ad omnes alias ſcientias, judicem reliquarum diſciplinarum, cynoſuram veritatis, judicii rectricem, humani ingenii perfectricem, & quid non eſſe? item, nihil eum ſcire, qui in ea ſit peregrinus, infeliciterque omnes graſſari ad cognitionem philoſophiæ, qui ante in

illa non sint subacti. Eodem per omnia modo, de circo Medici unum, quod conficere possunt medicamentum, supra universam Æsculapii officinam extollere non erubescunt. Scilicet scientię alicujus portiuncula compellit jactabundos supra Platonem, Aristotelem, reliquosque, quos orbis suspicit, philosophos, gloriari, quoniam non possunt cum Socrate beatum illud & ad modestiam ducens; QVANTVM dimetiri. Si ringatur Cartesius, quod cum circulatoribus à me componatur, desinat ante, eorum exemplo, ad risum usque inanes glorias flare.

CAPVT IX.

Cartesiani inepte Mechanicam suam physiologiæ normam esse statuunt. Specimen Mechanicæ talis exhibetur.

MEchanicę, quæ in conficiendis examinandisque machinis occupatur, maximum in vita humana usum esse; eamque ad praxin varia Geometrica theoremata ordinare, in confesso est. In pretio illam habuit Aristoteles, diligenterque excoluit, si modo ejus liber est, qui

qui de Mechanicis circumfertur. Quanquam autem inficias ire non possumus in quibusdam naturæ operibus, ab omnipotente ac sapientissimo architecto Deo ex nihilo productis, eam quadantenus fabricam animadverti, quæ in quibusdam secundum mechanicæ leges productis machinis conspicua est; nequaquam tamen tantum mechanicę deferri debet, ut habeatur norma & regula omnium operum naturæ, eorumque ille peritissimus censeatur, qui machinarum variarum conditionem exploratissimam habeat. neque enim admiranda Dei opera sapienter producta, & nobis maximam partem ignota, necessario conspirare debent, cum operibus, quæ homo qualiscunque artis præsidio instructus ad hujus vitæ usus producere novit. Vt enim rideretur quicunque hariolari vellet de cerasi naturalis indole, per cerasum ex sacchato arte confectum, ita & ludibrium eruditis, imo nasutis omnibus debet, quisquis physiologiæ amussim & normam, mechanicam in proprio cerebro procusam, esse statuit. neque enim putandum Deum, ad cujus sapi-

ſapientię penetralia, reſerata in ipſo creationis opere, nullùs mortalium accedere poteſt, ita, quæcunque in univerſo hoc inveniuntur, neceſſario, fabricatum eſſe, quemadmodum faber quis automata conficere gnarus, concipit, aut potius conjicit. Quod tamen quis miretur, Carteſianæ philoſophię præter Geometriam & Algebram regula quoque Mechanica eſt, cui tantum deferunt novorum deliriorum alumni, ut non dubitent eam cum ipſa Phyſiologia confundere. Voces temere jactatas non capto, aut captare volo, quæ aut typis exſcripta, aut pluribus dictata ſunt, ſector & amplector. Ita ergo Carteſianus Medicus in Dictatis Phyſicis, ſub finem capitis de Mundo: *Cœli Ptolemaici & Tychonici conſtitutio adverſatur mechanicæ, quæ ſola eſt Phyſica noſtra.* Itane? propterea explodendus tum Ptolemæus orbis ſiderei delineator diligentiſſimus, tum Tycho redivivus Atlas, quod omnia quæ ab iis erudite tradita ſunt, non conſpirent examuſſim cum mechanica, non ea quidem quæ abſtractive conſiderata vitii nihil habere poteſt. ſed nova illa, quæ à Carteſio procuſa eſt. Quid hoc

hoc vero? *Mechanica est sola Physica nostra.* Bonum factũ quod nõ sit etiã physica absolute considerata. Inepte enim statui physicę regulam mechânicam vel hinc manifestum, quod ars potius naturam, quam natura artem imitetur. artifex quippe & mechanicorum operum architectus, operum naturæ simius est, non vero omnipotens eorum conditor Deus, imitator machinarum v. c. alicujus Archimedis. Nisi forte placeat novatoribus, Dei tum omnipotentiam, tũ sapientiam in operibus creationis manifestatam, circumscribere, & ad leges hujus illiusve mechanicæ adigere. Enimvero lignea Archytę columba, & Alberti Magni loquens statua, columbæ & hominis quidem repræsentant simulacrum, non tamen per artis subsidium eadem omnia quæ ad veræ columbæ & hominis naturam absolvendam requiruntur, exhibent: eoque omnia quæ in columba & homine sunt, hoc est cujusque tum essentiales, tum integrantes, tum minus integrantes partes in qualicunque simulacro non possunt deprehendi, nedum distincte & perfecte, quod volunt Novatores, cognosci. Quid quod

quod opera mechanica naturam quadantenus imitari affectantia diversa & multiplicia sint: natura vero in quacunque re naturali eadem & simplex. fieri autem non potest, quin naturę opera unius ejusdemque speciei, diversimode concipiantur, si eorum norma sit opus quod mechanicum, v. c. horologium: quandoquidem machina talis aliter ab hoc, ut experientia docet, aliter vero ab illo artifice confici solet. Nisi forte placuerit Novatoribus, talem nobis proponere mechanicam, quæ sit tum perfectissima, tum invariabilis: quam ubi procuderint, maximus adhuc superit labor, quo nunquam poterunt defungi: hoc est, probare debebunt aut per sensualem demonstrationem, aut liquidas rationes eandem per omnia rerum naturalium & operis mechanici, qualiscunque etiam pro authorum arbitrio, rationem esse. Blaterant quidem multa, exonerantque verborum pelves, sed interim nihil aut probare possunt. Non calumnior, aut calumniari didici: si animus absonorum deliriorum patronis, coram toto orbe, cui

be, cui legenda hæc mea intrepide offero, in ruborem me dent. In una ſolum columba, componendo eam aut cum horologio, aut cum quocunque opere mechanico oſtendant aut per ſenſualem demonſtrationem, aut tam evidentes rationes, ut nullus iis obloqui poſſit, eandem per omnia rationem eſſe columbæ, quæ ejuſmodi operis eſt λόγυς & verba jactabunda non moramur. præſtari ea bona fide cupimus, quæ efflagitamus, ut coram omnibus eruditorum caveis erubeſcamus. Vtinam vero ipſi Carteſii ſectatores infirmitatem argumenti, demonſtrationiſque, quam jactant, animadvertant! Ita enim v. c. progrediuntur: Ego concipio animalium viventium exploſis omnibus formis ſubſtãtialibus eandem rationem eſſe quæ horologii, in iis vice principiorum, conſiderando ſolam diſpoſitionem partium, Ergo ſic ſe res habet. non valet hic concipiendi ratio, aut ejus proponendæ planus ac evidens modus, ſed convenientia talis conceptionis cum ipſa rerum natura, quam, ut ſupra probavimus, nequaquã

pro-

probat, aut probare poteſt propoſitionis evidentia. Alias vaniſſima Mahumedis ſomnia in cenſum veritatis admitti poterunt, conſentanea quippe ſunt ejus concipiendi rationi. Dic enim mihi an non tam liquida ſunt, quæ in Alcorano occurrunt de ſimilitudine liberorum cum parentibus, caloreque hominis vitali, quam quæ ex mechanica ſua Carteſiani deducunt? In Alcorano quippe ejus author agens de calore hominis vitali docet: Ignem in corpore humano victu ſuſtentari, & anima abeunte extingui, nec antequam illa redeat, accendi: & dein philoſophans de ſimilitudine, quam liberi cum parentibus colunt, inſtar Torrentiani aut Carteſiani phyſici ſic profatur: *Quum ſuperat voluptas viri voluptatem mulieris, trahit conceptus ſimilitudinem patris, ejuſque parentum: Sic in parte altera, ſuperante mulieris libidine.* Quãti vero in Mechanica viri ſint plerique Carteſii ſectatores, quidve exſpectandum ſit à philoſophia ad talem amuſſim exacta, idem Medicus docet, ad exploſionem ſcilicet formarum ſubſtantialium, lepide de horologio, quod alias

pro

pro norma physiologiæ sectatoribus suis obtrudere solet, philosophando; *cujus tum pondus tum spiram contortam vult esse caussas moventes horologii internas.* Quasi vero appensum pondus quod violente, & nullo modo essentialiter; horologium movet, magis principium intrinsecum motus in horologio sit, ac equus trahẽs currum principium intrinsecum moti currus; aut æditumus pulsans campanam, sive anicula circumrotans colum, principium intrinsecum aut campanæ, aut coli sit. Nec plus præsidii spira chalybea suppeditare potest: cum enim principium motus violentum sit, non potest esse principium primum & naturale motus: experientia quippe & αὐτοψία docent, spiræ à manu, motum, ad horas certas continuandum, imprimi. Ratio quoque, quæ adfertur, nequaquam ex tantorum philosophorum existimatione est. Quid hoc enim: *Pondus appensum & spira contorta sunt caussa* (horologii) *moventes internæ, cum sint horologii partes essentiales seu integrales; his enim sublatis horologium non est horologium.* Secundum ejusdem enim consequentiæ regulas probare possent asinos

esse

esse partes essentiales molarum quas circumrotant, aut ventum, quando *Intphasianam* molam afflat, evadere partem illius essentialem: item verua non esse verua, quando canes, qui ea gyrare solent, aut per plateas discursant, aut venatum abierunt. Ex hoc specimine eruditus lector judicet, quid exspectandum sit de nova disciplina mechanico-physica.

CAPUT X.

Cartesiani simplicem narrationem vice demonstrationis obtrudunt: tantum quoq; deferunt propositionis evidentiæ: fingunt hypotheses, easque citra probationem ullam obtrudentes, dogmata & conclusiones ex iis educere instituunt.

HActenus in speciem antiquæ & evidentis philosophiæ principia expendimus, deinceps citra calumniam ostendere debemus qua solertia versipelles magis, quam eruditi philosophi, ea quæ excogitarunt, probent. Quanquam enim, ut cuivis, cui placuerit commenta eorum excutere, liquebit, nullas probationes solidas adferunt, se unos tamē magistros ἀποδείξεων esse crepant, qui omnia

omnia, quæ docent, ac proponunt, evidentissimis demonstrationibus confirment. Quinque vero potissimum artibus tum hoc, tum subsequenti capite examinandis, instructi sunt. *Primo*, simpliciter tantum quid narrant & proponũt, illud neque per rationem, neque sensualem demonstrationem confirmando, quemadmodum videre est non tantum in Cartesiani Medici Thesibus, Dictatisque physicis, verum ipsis Cartesii Meteorologicis, in quibus quæ vice principiorum sunt, & ab eo ad ultroneam concessionem Lectorum proponuntur, liquido præ cæteris probari deberent. Nec ad rem facit, quod ex iis, quæ citra probationem velut principia proponunt omnium arcanorum naturæ caussas rationesque accersere videantnr. Mahumed in Appendice Alcorani de mysteriis naturæ agens, certa quoque principia habet, non inventa aut in Scriptura, aut naturæ operum penetralibus, sed in stolido, & Cartesiano ejus cerebro procusa, ut quivis, qui ea legit mox animadvertere potest. Quis credat enim, esse piscem Albehbut cujus caput in oriente, cauda v. in

occi-

occidente ſit, ſuper cujus dorſum terræ & maria, tenebræ, aër & montes uſque in finem ſeculorum ſuſtententur: Infra piſcem vero eſſe ventum piſcem ſuſtinentem, infra montem, infra tonitru, infra fulgur: Sub his autem eſſe mare ſanguineum, infra infernum concluſum, infra mare igneum, infra mare opacum, infra mare nebuloſum, infra laudes, infra glorificationem, infra ſolium, infra tabulam, infra calamū, infra majus nomē Dei: Et tamen quod quis miretur Orientis ſeductor ex his male cohærentium principiorum commentis multa eaque abſtruſa naturæ myſteria evidentiſſime, ita ut ab omnibus ſenſum communem habentibus intelligi poſſint, explicat: Egoque, ſi ineptire cum ſuis Carteſius pergat, aliquãdo æque perſpicue ex ſuppoſititiis illis principiis pleraque naturæ arcana illuſtrabo, ac per quinque principia, in Carteſii cerebro nata, Mentem ſcil., Menſuram, motum quietem, ſitum, Figuram, quis hactenus ex novis Flaviis. Nō ſufficit excogitare quædam rerum naturalium principia; ante omnia probandum eſt, illa primo prima omnium rerum

rũ naturaliũ aut intrinſeca aut extrinſeca principia eſſe, ac præter illa, neq; alia neque plura aut pauciora dari. *Secundo*, quemadmodum ex parte capite ſecundo hujus ſectionis oſtendimus, non tantum Carteſiani philoſophiam ſuam evidentem eſſe clamant, ſed evidentiam propoſitionis, quam ſcilicet homo quis ratione prædítus haut difficulter intelligere poteſt, vice ſolidiſſimæ demonſtrationis objiciunt, exiſtimantque ſe tum defunctos eſſe probandi onere, quando provocando ad tribum indoctorum, dogmatibus ſuis evidentiam competere, ipſi teſtati fuerint. Imo eo uſque progrediuntur, ut non tantum ſua dogmata per domeſticum hoc teſtimonium, quod qui cor habent pili non faciunt, confirmata velint, ſed amplius antiquæ philoſophiæ dogmata carbone notare audeant non alia de cauſſa, quam quià tantam perſpicuitatem in iis, quia ignorant, animadvertere non poſſunt. Hinc Carteſianus medicus lepidis ſuis principiis citra demonſtrationem ullam proponi ſolitis, triumphũ de antiquis principiis decreturus, ita loquitur in Reſponſ. ad Theſ. I. D. Voetii; *Cum autem*

hæc

hæc principia sint perspicua & sufficientia, rejicimus materiam primam Aristotelicorum, &c. Rejicimus etiam omnes formas substantiales, quæ dicuntur esse substantiæ, vel partem substantiæ rerum naturalium constituere. Item in Dictatis Physicis sub finem doctrinæ de principiis: *Hæc principia à me jam explicata, quam maxime sunt intelligibilia, quæ vero ab aliis statuuntur, captum humanum superare videntur.* Sed si Renati principia sunt habenda pro certo demonstratis, & dogmata Cartesiana inde deducta, verissima, quoniam maxime sunt intelligibilia & perspicua: næ absurdissima etiam dogmata. modo ita proponantur, ut ab omnibus intelligi possint, pro dogmatibus veris ac per certam demonstrationem probatis, habenda erunt. Quid novæ philosophiç alumni moliantur, dies nondum docuit: interim certum eorum philosophiam in hoc probandi modo per omnia conspirare cum abominanda Socinianorum Theologia: ut enim Renati asseclæ aut vice princi-
pli

pii amplectuntur, aut dogma illud ut verissimum exosculantur, quod quam maxime est intelligibile, & facile ab omnibus sensu communi præditis ob perspicuitatem apprehenditur: ita & infausti discipuli eam Theologiam verissimam esse docent, quæ omnibus hominibus ratione præditis ob perspicuitatem & consensum, particularium quorundam axiomatum natura notorum; manifestissima & quam maxime rationabilis videtur: qui proinde & mysterium de sacrosancta Trinitate, vera deitate Christi, & hujus carnis resurrectione, fremente frustra toto orbe Christiano, explosum eunt, quod omnium Christianorum communia dogmata de tribus illis fundamentalibus fidei articulis, sibi æque difficilia intellectu videantur ac Cartesiano alicui aut materia prima, aut forma substantialis antiquæ philosophiæ. *Tertio*, quod etiam atque etiam observari velim, fingunt Cartesiani ut modo etiam ostendimus, quædam principia, citraque

proba-

pobationem ullam ſtatuunt certas hypotheſes, ſecuri ſintne verę an falſæ, ex quibus dein(poteſt quippe ex falſis pręmiſſis & hypotheſibus vera educi concluſio) quædam educendo & apparenter demonſtrando incautis imperitiſque perſuadent, omnia æque à ſe demonſtrari, ac illa ex falſis hypotheſibus educuntur. Injuriam nullam Novatoribus facio, aut volens ſciens facere intendo: Rogo ſolum candidum Lectorem, ut citra præjudicium aut ſola Renati Meteorologica, aut Medici Theſes in Academia Trajectina ventilatas, legere dignetur, & niſi moleſtias à polypo patiatur, arteficium hoc, quod philoſophię mangonibus jam olim notiſſimum fuit, deprehendet. Sic v.c. novę philoſophiæ epoptæ præſupponunt dari globulos ętheteos, item rapidiſſimo vehementiſſimoque motu circa unum centrum rotari, varieque inter ſe agitari; Ad hoc cum ſtatuant per illorum globulorum in lumine perceptibilem proceſſum & circumvolutionis proportionem colores excitari, exiſtimant ſe cornici, ut in vulgato proverbio, oculos, & ſupra omnes, quotquot vixerunt, philoſophos.

per

per variam globulorum agitationem & propulsionem omnium colorum verissimam evidentissimamque rationem reddere. Quasi vero non liquido tua hæc ante fuerint demonstranda. 1. Dari globulos æthereos. 2. Eos variis modis propelli & agitari. 3. Per variam eorum agitationem colores solum procreari, nec ullas alias eorum caussas dari, aut veras excogitari posse. Si possint, & philosophi salutari velint, tria hæc demonstrent, & demonstrationibus secundariis, quas vice principalium & primariarum incautis obtrudunt, quid tribuere incipiemus. Cartesianę si valebunt artes, & in philosphia locum invenient, proxima caussa terræ motus haberi debebit Leviathan terram caudę suæ impositam concutiens; dogmaque illud ut certo probatum amplectendum erit, quoniam Thalmudista quis æque agnosci vult tria hæc supposita, (nempe 1. Dari magnū piscem Leviathan. 2. Eum cauda sustentare totum terræ globum. 3. Agitata cauda in orbe terrarum existere terræ motum) ac Cartesius hypotheses suas de globulis æthereis ad explican-

dam colorum naturam.

CAPVT XI.

Similitudines Cartesianis loco demonstrationum sunt: ut plurimum hi novæ philosophiæ antistites à particulari ad universale argumentantur.

SImilitudines illustrationi maximè inservientes, præsidia magis oratorum sunt, verbis ad persuadendum idoneis utentium, quam philosophorum rerum momenta solidasque probationes sectantium: neque enim similitudo, quæ remotam quam affinitatem cum dogmate, cui applicatur, colit, illud, quod in quæstione est, probat ac confirmat, sed aut dogma ipsum declarat, aut facem, qualicunque, quæ adfertur, probationi accommodat. Hinc in pergulis solide philosophantium aut rarus admodum similium usus est, aut si crebriori usu frequẽtẽtur, pr꞉ cæteris tironibus succurritur, quibus antequã solidioris philosophię dapes apponuntur, ante, qualiscunque illius facies veluti carbone delineatur, ne quid de illis dicamus, qui

ani-

animi magis caussa, quam serio, aut confirmandæ veritatis ergo ad similitudines divertunt. Quod tamen quis haut sine ratione admiretur, musteæ philosophiæ alumni, qui tantum demonstrationes & Geometricas probationes crepant & jactant, Renati scilicet des Cartes sectatores, in Similium classe, evidentes certasque illas probationes, quarum loto ac nectare se quoscunque Σόφυς inebriare posse existimant, citra pulveris jactum inveniunt. *Quarto* enim, quidlibet apodictice, imo solidius quam demonstratione à priori probare se opinantur, si tantum simile inveniant, quod obtorto collo, ad probationem dogmatis in quo occupantur, applicari possit. Sic Cartesianus Medicus probaturus omnia cōpo ni ex materia corporea solaque partium dispositione hunc in modum à simili philosophatur in Resp. ad Thes. I. D. Voetii: *Materia secundum nos est corpus, seu substatia corporea; cujus essentia in eo consistit, quod hac se in longum latum & profundum extendat. Ex hac omnes res naturales eodem modo per*

solam partium dispositionem sunt facta, ut ex ferro fiunt horologia, vestes, & similia. Cujus dogmatis, omni alia probatione destituti, breviter hæc probatio est: Quemadmodum ex serico vestes, & ex ferro horologia per solam partium dispositionem, ita etiam ex substantia corporea per solam partium dispositionem omnes res naturales componuntur. Probandum ante foret rerum naturalium eandem per omnia rationem esse, quæ horologii alicujus aut vestis sericæ est: quod speciose magis jactatur, & per aptas similitudines proponitur, quam solide demonstratur. Nec sic Medicus tantum, ut allatis pluribus ex ejus libellis & dictatis locis ostendi posset, incautis fucum facit obtrudendo similia loco demonstrationum, sed ipse etiam Cartesius. Ei enim si fidem in Methodo Gallica pag. 14. adhibere volumus, propterea quisque, contemptis scilicet libris, qui promptuaria sunt eruditionis, suum ingenium adorare, propriæque rationis amussim sequi debet ad acquirendos veritatis philosophicæ thesauros, quoniam Spartana resp. ideo præ aliis floruit caputque ex-

eruit, quod legibus, ab uno Lycurgo satis, niteretur. Sed quis non rideat hunc progrediendi modum? pari jure enim alius quis colligere posset, mutos magistros sive libros consulendos esse, aliorumque commentationes explorandas, quoniam Romani omnium mortalium sapientissimi, non contenti legibus à Romulo ac Numa Pompilio latis, decemviros Athenas miserunt, ut inde decantatas Solonis leges adferrent. Similiter pag. seq. in eodem tractatu cōcludit, se, quo posset vere philosophari, debuisse omnes opiniones funditus tollere, animoque extirpare, quoniam *aliquis universas ædes alicujus oppidi non diruit solo eas reficiendi, aut plateas exornandi animo; cum sæpe accidat ut plures demoliantur suas, quo eas de novo extruant, & aliquando huc adigantur, cum periculum est ne sponte sua collabantur, quod fundamenta satis firma non sint.* Sed quam insubida hæc similitudo, aut, ut author loquitur, exemplum? Aliquis funditus ædes suas demolitur, quod impositum onus fundamentum amplius sustinere recuset; quo tutius ergò in posterum quis philosophari possit, antiquæ

receptæque philoſophiæ fundamenta ac principia evertere debet, novaque excogitare, aut in cerebro ſuo fabricare. Mi homo, conſtare ante deberet receptam philoſophiam ruinoſo fundamento niti. Studio prætereo cæci baculum, teſtudinem, inſtrumenta Muſica, & quiſquilias ſine numero, in quibus Dn. Renatus cum pullicie ſua, non quod pueri in fabis, reperit, ſed ſolidas novaque Logica ac Philoſophia digniſſimas demonſtrationes. Vnum mirari non poſſum, quod impudentiſſimus diſputator, cum laqueis ſeptimi Meditationum examinatoris ſe expedire non poſſet, ad hoc etiam ignorantiæ aſylum confugere auſus fuerit, excogitando lepidam fabellam, & Carteſiano congenone digniſſimam, de architecto & cæmentario imperito, ut videre eſt pag. 109. & multis ſequentibus. Quo animo doctiſſimus in Societate Ieſu Pater ferat, quod cum inſulſo cæmentario, qui ad Medicos ablegandus erat, à Renato comparatus fuerit, neſcio: ego quidem ſi mihi tale quid accidiſſet, homini præparata hellebori procula mitterem; neque enim quiſ-
quam

quam vesani disputatoris personam æque graphice unquam agere potuit. Et tantum de quarto hoc Archimedeo invento, quod si valeret posset Mahumedista quis apodictice probare omnes montes esse ortos ex monte Kaff & velut palos à Deo in terra fixos: quia similiter videmus prolixas arbores in sylvis cædi, ex iisque palos fieri, quibus ædium fundamenta minus solida fulciantur. Sed progrediamur ad *quintum* probationum præsidiũ. Familiare ergo novę philosophię cõditoribus est, à particulari ad universale, exemplo plerorũque in philosophia, aliisq; disciplinis erronũ, progredi. Quasi vero quilibet homo cum monstris feliciter congredi possit, quoniam hoc factum à Theseo & Hercule: aut omnes Paradoxorũ Doctores, & inter eos quoque Fluddus, ac Cartesius multos inventuri sint sectatores, quia sectantium numero gavisi fuerunt Marcion, Manes, Mahumed, & David Georgii: aut denique nulli ante Cartesiũ noverint, quomodo cõtra Scepticos & Atheos disputandũ sit, hoc benedicto sc. seculo & ob tantũ mortalitatis ornamentum vere beato. Quicumque

 phre-

phreneticorum carceres exornant, secundum ejusdem logicæ principia progredi solent. Interim apud eos, quibus mica salis & rationis gutta adest, à particulari ad particulare tantum valebit sequela. Ne vero videantur minus candide agere, quoniam prolixum esset talium argumentationum, aut verius argutationum specimina exhibere (in Cartesii enim & Medici scriptis utramque paginam faciunt) succincte modos solum novę hujus figuræ, superbis Novatoribus nimis quam familiaris, annotabimus; Lectorem autem rogamus, ut ipse erronum scripta evolvere citra præjudicium dignetur, licet enim nihil à nobis homini per calumniam affingi, sed ubique ingenuum candorem prodi. *Primo* ergo (ut supra ex parte indicavimus, hic enim per satiram multa repetimus & coacervamus) pro axiomatibus immotæ veritatis & principiis indubitato veris omnibusque exploratis, ea quæ ipsi, pro talibus axiomatibus & principiis amplectuntur incautis strophatumque ignaris obtrudunt: Quasi vero statica non sit effurcillandum hoc argumentum; Thales principium omnium

nium rerum aquam esse existimavit, ergo omnibus, quotquot vivunt, hominibus, modo ratione bene utantur, constare debet universalissimum omnium rerum principium aquam esse: Item, Cartesius amplectitur hoc Metaphysisicum axioma; *Cujus idea est in aliquo, illud aut possibiliter, aut necessario existit:* Ergo nullus ambigere potest, quin tale effatum omnium mentibus sit insculptum. *Secundo*, Renati filii in hac figura negative etiam argumentantur, aut potius ineptiunt, ad proscribendas illas antiquæ philosophię sententias, quas ipsi, quod infeliciter eas didicerint, minus accurate intelligunt. Sic concludunt, nullam omnino primam materiam, aut ullas formas substantiales, excepta sola anima rationali, esse; quoniam Cartesius cum suo Medico eas non agnoscit. Sed eodem modo cœcus quis ita argutetur: Quod ego non video nullus hominum videt, Ego non video colores, Ergo nullus hominum colores videt. *Tertio*, ut capite hoc ostendimus passim à similitudine particulari, inepta, & male applicata progrediuntur ad condendum generale aliquod dogma, aut axio-

 ma.

ma. Ac quis risu, v. c. tale argumentum non expiet? Quædam entia arte facta moventur per solam partium dispositionem, ergo, omnia cujuscunque etiam commatis sint, quę moventur, per solam partium dispositionem moventur. Æque solide auriga quis sic argumentari posset: Vt rotę currus mei facilius moveantur :· Axungia probe perunctæ esse debent: Ergo in omnibus rebus, quæ moventur, quid simile axungiæ, ad motum facilitandum deprehenditur. *Risum teneatis amici.* *Quarto* & postremo passim Cartesii filii ex incerto, fallacique sensus experimento generale quod physicum dogma, aut axioma colligunt. Sed quis ferat ita argutantes non tantum in gratiam novæ philosophiæ, verum etiam (ut sibi lepide persuadent) ad antiquę receptæque sophiæ eversionem. Si placuerit lectori benevolo, in Cartesii scriptorũ lectione, ad quatuor hos erroneę figuræ modos attendere, idem de iis statuet, quod magnus quis vir de Mahumedis Alcorano dicere solet: Prędicabat vero scriptum illud adeo ineptum, ut crederet nullum sanæ mentis hominem inveniri posse, qui vellet

post

post primum examen iterato legere.

CAPUT XII.

Quomodo Cartesiani occurrere soleant adversariorum argumentis, quibus petuntur.

DElineata bona fide novæ philosophiæ facie, antequam sequenti sectione specialia ejus dogmata (quæ cũ ab authoribus tantum citra probationem proponantur, prolixo scrupulosoque examine non indigent) proponere instituam: ante Lectorem docere debeo, quomodo, quibusque artibus occurrere soleant adversariis suis, qui cum ex superabundanti (neque enim necessum quæcunque commenta, quæ tam facile sunt rejicienda, quam ab authoribus excogitata sunt, argumentis specialibus contundere) rationum arietes contra nova dogmata dirigere ac disponere soleant, quinque potissimum fallaciarum machinis, quo scilicet argumenti infirmitatem volentes nolentesque in gratiam Cartesii fateãtur, repelli solẽt. Eas, quoniã non inveniuntur aut apud Vegetiũ, aut apud Lipsiũ in Poliorceticis, sed tantũ in nova Logica Pract. Renati, eru-

ere & Lectori oſtẽdere debemus, quemadmodum antea pari fide & numero probationum machinas ex ejuſdem τρόπυ παιδείας Practica eruimus. *Primo* ergo per gloriationem Carteſius omnibus adverſariorum argumentis ſatisfacit, crepando nihil ab iis actum eſſe, aut agi potuiſſe, ſed ſua dogmata, ac qualeſcunq; probationes contra eorum paralogiſmos & fallacias in ſtatu conſiſtere. Calumniatione non agam, ſed propria hominis verba fatuo potius quam homine cordato digna, repræſentabo. Ita ergo ſub calcem Reſponſionum ſextarum, poſtquam nauſeabunda prolixaque oratione, ſed ad rem parum pertinente, ſextuplici virorum doctorum examini contra Meditationes inſtituto, occurriſſet, proloquitur: *Atque hic idcirco mihi videor merito poſſe concludere, non tam ea, quæ ſcripſi infirmari authoritate doctiſſimorum virorum, qui ipſis ſæpe perlectis nondum poſſunt aſſentiri, quam è contra eorundem authoritate confirmantur, ex eo, quod nullos errores, ſive paralogiſmos, poſt tot accurata examina, in Demonſtrationibus meis annotarint.* Nec ſic tantum in ſuimet ipſius

gra-

gratiam, verum Medici quoque, quem pro cathedra aliquoties turpiter confusum fuisse inter disputandum tota Academia Vltrajectina testabitur, gloriatur; ut probet enim nullis machinis ejus argumenta contra formas substantiales adducta, convelli potuisse, in Epist. ad Dinetum pag.204. ita proloquitur: *Sed tamen in iis omnibus*, (Libellis nempe & Disputationibus) *nulla, vel minima, ex rationibus Medici, non dicam solide, sed ne quidem verisimiliter est refutata: Ideoque ille Author nihil aliud curasse videtur, quam ut crassum volumen ex meris ineptiis compingendo, ac etiam prodromum inscribendo ut adhuc plura exspectentur, caveret ne quis respondere dignaretur.* Enimvero si hac ratione dogmata nova defendi possunt, quilibet cato poterit secure hiberna sua somnia, vice philosophicorum dogmatum, typis curare exscribi; sique eo nomine vapulet, ad ea defendenda quicquid sub acumen styli venit scribere, addereque hunc thrasonismum, oleum & operam doctissimos quosque in refutandis, aut verius prostituendis suis dogmatibus perdidisse, ea cubo insistere, ac contemni

omni facilius posse, quam solide refutari. *Quid non speramus amantes!* Si homo ex asse saperet, ipse silentio litaret, judiciumque de Responsionibus suis æquo & præjudicio non excæcato Lectori committeret. *Secundo*, Cartesius argumentando ex loco Communi Calumniarum, ferreis convitiis suos adversarios, à quibus scilicet se vapulasse novit, contundit; eos enim si authoritate exuerit, probaveritque per artes Christiano indignas homines indoctos & judicii expertes esse, quidvis imperitis obtrudere poterit, nec male sana dogmata sibi metuent à decretorio cujusvis stylo; Quisquis enim eo deliria & cerebri Cartesiani commenta jugulat aut jugulare potest, indoctus, judicii expers, & quo non convitio dignus est. Renato nihil affingo, injurere, aut affingere nolo: ut videatur quorumvis adversariorum insultus intrepide sustinere posse, de deliriorum suorum aut Examinatoribus aut iis qui tam facile ea refutare possunt, quam volpes pyrum comest, in genere ita loquitur Epistol. ad Dinetum pagina 161. *Sed alia pars, ii scil: qui docti videri malunt*

lunt quam esse, jamq; aliquod nomen inter eruditos ex eo se habere putant; quod de scholæ controversiis acriter disputare didicerint, timentes ne detecta veritate controversiæ istæ abrogentur, ac simul eorum doctrina omnis abeat in contemptum, meaque Philosophiæ editione veritatem detectum iri existimantes, non ausi quidem sunt aperte ostendere se non cupere ut ederetur, sed summa in me invidia exarserunt. Notate omnes, qui in Scholis receptam philosophiam docetis: Quicunque contra Cartesium aut serio scribitis, aut philosophiæ ejus in pergulis vestris locum facere, per leges antiquas, non cupitis aut tergiversamini, docti videri mavultis, quam esse, ac invidia æstuantes virum insontem opprimitis. Quis hominem hunc mentis compotem esse putet? Non mirum vero, eum, qui omnibus antiquæ Philosophiæ fautoribus & doctoribus per calumnias publici odii ventos concitare laborat, instar furibundi debacchari in quem nominatim, si coram toto orbe turpiter ejus dogmata ab

ta ab illo prostituta fuerint. Qui omnibus insultare audet, uni huic nominatim nõ parcet. Hinc idem Renatus, postquam Doctor Voetius obiter & velut aliud agendo delicia ejus, per Medicum præcedenti anno proponi solita, ita delineasset, ut paulo post Trajectina Academia, in qua dominari videbantur, proscriberentur, omnia agere laboravit, ut orbi, qui viri pientissimi eruditionem exploratissimam habet, persuaderet, eum unum, non tantum *indoctorum*, verum *impudentium* Dictatura dignum esse. Quis ferat enim hominis, Kappa dignissimi, convitia occurrentia in eadem Epistola ad Dinetum pag. 178. *Multos quotidie libellos, sed à nemine legendos, emittendo; varios anthores, sed sæpius contra se quam pro se facientes, ac forte ex indicibus tantum notos, citando, & de quibuslibet scientiis tanquam si earum gnarus esse, audacissime, sed & imperitissime loquendo, admodum doctus indoctis videtur. Peritiores autem, qui sciunt, quã importunus in aliis provocandis semper fuerit, ac quam sæpe, ubi fuit disputandum, convitia pro rationibus attulerit, turpiterque victus discesserit, si sint diversa ab ipso re-*

so religionis palam irrident, & contemnũt, eumque, jam publice nonnulli sic exceperunt, ut nihil novi deinceps in ipsum scribi posse videatur: si vero cum illo in religione consentiant, etsi quantum possunt excusent, & tolerent, in animo tamen non probant. Nec tantum Voetio Ecclesiarum Reformatarum lumini ac ornamento adeo infestus est Cartesius, obedientissimus scilicet Ecclesię Romanæ filius, sed ipsis etiam Societatis Iesu Patribus, quoniam enim à doctissimo quo inter illos coram Sole vapulavit, dicam ei scribit apud Dinetum Societatis Iesu Præpositum Provincialem per Franciam, quo aut censura notetur, aut saltem in posterum contra Cartesii tripoda, stylum ineptias detegere gnarum, stringere prohibeatur. Vt vero Lectores credant, nihil à celeberrimo in Societate viro agi potuisse, fremente ipsa calumnia persuadere iis laborat, examen ejus non tantum indignum esse quo Societatis ejus membro; sed quocunque ingenuo Disputatore. Sic enim de eo loquitur in Epistola ad eundem Dinetum pag. 15. *Nam sane si profecta esset Dissertatio ab Authore, qui eodem spiritu, quo tota vestra*

stra Societas , regeretur , major , aut saltem non minor in ea benignitas , & mansuetudo , & modestia , quam in privatorum eadem de re scriptis , appareret, &c. pag. seqq. *Appareret quoque doctrina , & ratio , & ingenium : At, nisi forsan latinæ linguæ notitiam , qualem olim plebecula Romæ habebat , pro doctrina numeremus , nullam plane in ea inveni : nullumque ratiocinium non illegitimum , aut falsum : nec etiam ullum acumen ingenii , quod non cæmentario dignius sit, quam patre Societatis. Omitto prudentiam cæterasque virtutes , quæ cum in Societate vestra eximiæ sint, nullæ tamen in ista Dissertatione apparent , nec ullum vel sui odorem in ipsam transfuderunt.* Ito, quisquis tandem es , doctissime è Societate pater , & stylo decretorio Cartesianas Meditationes aggredere , vice solidarum Responsionum , cantico & psalterio apud ordinis tui Præpositum Generalem te differet Renatus. Si hæc vero tantis heroibus acciderunt , quid mihi proletario philosopho non exspectandum ? Quicquid in homine bilis, uno impetu exire conabitur. At exeat, pelves interim disponam, ut in iis , velut phre-

ut phreneſeos ſpeculo, univerſus orbis Carteſianę philoſophiæ excrementa intueri poſſit. Sed progrediamur. *Tertio* ergo, contemptu, inſtar Goliathi alicujus, adverſarios ſuos Carteſiani ſuperare laborant: quaſi ſcilicet ille argumenta adverſaria doctiſſime ſolvat, qui maxime ea ſcit deprimere, & Stentoreo clamore ut ficulnea ac reſponſione aut examine indigna traducere. Arte hac præ aliis munire ſe ſolet Medicus: cui ne quid affingere videar, quædam tantum commata, ſpeciminis ergo, ex ſpongia ejus adverſus doctiſſimum Primoroſium adornata, annotabo. Habemus autem in ipſo libelli veſtibulo eum confitentem: ſic enim ipſe pronunciat pag. 3. lin. penult. *Vt ea reſponſione indigna, ſolo riſu & contemptu refutare primum decreverim.* Strenue autem contemnentis partes contra Primoroſium explet in eodem libello pag. 22. lin. 17. pag. 30. lin. 6. 14. 18. 22. Item pag. 31. pæne tota, lociſque amplius ſine numero, quæ hic annotare longum foret. Nec tantum Archimedei hujus εὑρήματος præſidio de Primoroſio triumphat, verum etiam de Plempio celeberrimo in

Acade-

Academia Lovaniensi Medicinæ Professore, exprimat quippe omnia illius argumenta contra nugatoriam sanguinis Circulationem allata abunde refutari, quando pag. 23. l. 6. & 7, eum *infelicem* esse dicit in impugnatione Circulationis Sanguinis. *Quarto*, novę philosophiæ alumni, quæcunque argumenta citra ullam difficultatem aut molestiam solvere videntur, quando argumenta sua repetunt, omnesque responsiones ad illa allatas profunde dissimulant. Artificium hoc in quaque pæne pagina, quilibet, qui naso non caret, deprehendet, modo placuerit haud oscitanter examinare septuplices Cartesii Responsiones, ad totidem Objectiones à viris doctissimis contra qualescunque Meditationes allatas. Ejusdem stratagematis præsidio erectus Medicus, examinare sustinuit D. Voetii theses pro formis substantialibus propositas, in toto enim libello ab Academico Senatu proscripto, tantum ut molestam quam crambem omnia illa argumenta recoxit, quæ jam aliquoties (quemadmodum pluribus in Trajectina Academia viventibus liquido constat) ab ejus discipulis publice

blice erant proposita, solideque refutata. *Quinto*, cum nihil sit actum, & vix leviter argumentum adversariorum delibatum: Renati tamen filii, omnes dubitationes sustulisse videri volunt simplici negatione, & quidem tam solide, ut quivis (per Cartesium scilicet dementatus) clare videre possit, nihil scrupuli in alicujus animo relictum esse. Didicerunt hoc à Magistro, qui ut incauto Lectori persuadeat, frustra se à doctissimo septimarum objectionum authore reprehensum fuisse, quod in Meditationibus, dubitationum sylvam in quorumcunque Lectorum animo plantasset, hunc in modum in Epist. ad Dinetum pag, 258. proloquitur: *Cum enim mihi nihil aliud quam nimiam dubitationem objecerit, non opus est ad ostendendum quam injuste eam mihi affingat, ut referam loca omnia mearum Meditationum, in quibus eam diligenter, ac, ni fallor, accuratius quam ullus alius cujus scripta habeamus, refutavi & sustuli: Sed satis est si moneam ejus quod expresse scripsi initio meæ responsionis ad tertias Objectiones, Nempe nullas dubitandi rationes fuisse à me propositas, eo fine ut ipsas persuaderem,*

rem, sed contra ut refutarem. Sed an interim à morosi examinatoris argumentis Meditationes vindicantur? Dicit Cartesii adversarius, nec tantum dicit, sed prolixe probat, in Meditationibus dubitationem doceri: quibus tamen argumentis Renatus tam clare, ut omnes qui Latine sciunt intelligere possint, respondet: *dubitationes eo fine à se propositas esse, non ut ipsas persuaderet, sed ut ipsas refutaret.* Quid videtur an sic solide satisfecerit? Iudicate quicunque sapitis. Ego quidem sic censeo: Vna hac formula ex novę philosophiæ methodo plus præstitit Cartesius, quā si ad quodque doctissimi Patris argumentū quinque convenientes responsiones attulisset. Quisquis enim secundum novam Logicam sive Majorem, sive Minorem Propositionem, pie etiam ipsam Conclusionem intrepide solum negare audet, abunde pertinacissimo etiam adversario satisfacit. Medicum, cui hæc praxis quam familiarissima est, ad partes non vocamus, sufficit indicasse Cartesium eo nomine gloriari, quod simplici & solitaria negatione adversarii sui argumenta refutare possit. Quicunque

que in palæstra disputatoria viri videri volunt, nil negant nisi ejus adferant rationem; & si videantur argumento satisfecisse, super responsione tamen non gloriantur; neque enim instantias hac ratione avertere volunt, quas libentissime admittunt, quo responsionis soliditas magis pressa, clarius illustrari queat.

CAPVT XIII.

Vbi inveniatur, aut stabuletur nova hæc Cartesii philosophia.

DE Aristomacho Solensi refertur, quod in muscarum natura investiganda, pulicumque saltibus dimetiendis integros sexaginta annos occupatus fuerit, nec tamen mysteria, quæ rimabatur, invenire, posteritatemque edocere potuerit. Non quidem cum Aristomacho, Cartesius, qui nondum senex videri cupit, ætatem comburere decrevit in dimetiendis & numerandis particulis insensibilibus, quas ad absolvendam dispositionem rerum naturaliũ concurrere fingit, aut æternum premere arcan-

arcana, quæ principiorum ſubſidio videri vult inveniſſe: interim tamen fluctuare ſinit ſectatores, quos ad novorum monſtrorum contemplationem pellexit: neque enim ſciunt è quo fonte novæ philoſophiæ nectar haurire debeant, aut ubi inveniantur margaritę, quæ ſi authori credimus, dolorem omnibus antiquæ philoſophiæ profeſſoribus propediem creabunt. Alicubi quippe, velut *celebris promiſſor* ſuis filiis ſpem facit ſyſtematis philoſophici, propediem evulgandi, ut cum in Epiſtola ad Dinetum pag. 159. ſic proloquitur: *Dicam hic aliquid de Philoſophia, quam conſcribo, & quam, niſi quid obſtiterit, poſt annum unum aut alterum in lucem edere decrevi*, authori ſi credimus nō poſſident adhuc ſui filii eas tabulas, quæ omnia antiquorum & recentiorum philoſophorum monumenta ſubmovebunt. Cur ergo non ſint bono animo? veniet enim doctor perplexorum, & uno libro ea cōplectetur, quæ hactenus, quotquot in orbe eruditi fuerunt, cum ignariſſimis ignorarunt. Spem hanc ipſe confirmatum irem, niſi ipſe Renatus in eadem tabula jugulum illi præcideret. Ita enim

promiſ-

promissorum suorum parum memor in eadem epist. pag. 210. proloquitur: *Etenim in paucis illis Meditationibus, quas edidi, principia omnia Philosophiæ, quam paro, continentur, in Dioptrica autem & Meteoris particularia multa ex iis deduxi, quæ declarant quo ratiocinandi genere utar, ideoque quamvis ipsam philosophiam nondum totam ostendam, existimo tamen ex iis, quæ jam dedi, facile posse intelligi, qualis sit futura. Nec, ut opinor, sine justa ratione malui quædam ejus specimina præmittere, quam integram exhibere, priusquam fuerit expetita.* Enimvero si nova philosophia implicite in Meditationibus continetur admodum incerta est futura: principia enim, quæ argumentis parum solidis ad lectorum vomitum inculcantur, sunt hæc tria: Esse aliquid, esse Deum, animam rationalem à corpore distinctam esse, sed tria hæc principia explorata habent, certoque credunt omnes plebeji & idiotæ qui rationem qua ut homines gaudent, intendere sciunt; conclude ergo cum Cartesio non tantum omnis veritatis semina in iis latitare, sed etiam implicite philosophos esse, *Privatis*, de quibus in eadem

Epiſtola pag. ſeq. loquitur, hoc eſt credulis, omniſque eruditionis expertibus fumos ſuos vendat, non iis, qui cor habent. Animadvertite Carteſii pulli, philoſophia, quam totam parens veſter exhibebit, ſimilis erit ſpeciminibus, quæ jam ante exhibuit; ſed illa ex principiis ſubleſtę notæ tomata, parumque feliciter probata, & infelicius adhuc defenſa, non poſſunt vel in cenſum philoſophicorum dogmatum referri nedum de gradu præcipitare immotæ veritatis effata, quæ hactenus recepta & antiqua philoſophia amplexa fuit. Expendite quæ dico, & in omnibus ſpeciminibus ea quæ hac ſectione, per varia capita annotavimus, obſervate, ut diſcere queatis quid exiſtimandum ſit de dapibus, quarum guſtulum Carteſius videri vult appoſuiſſe, quaſque jam in anteceſſum ſi eidem credimus pag. ejuſdem Epiſt. 75. quibuſdam ſub credulitatis ſidere natis Medicus oſtentavit. Sed quorſum exiſtimabimus tam diu differri Editionem & evulgationem integræ philoſophiæ Carteſianę? An quia in ea abſolvenda author adhuc occupatur? quorſum ergo ut omnibus numeris abſolutam

tam jactaret? An quia in propatulo mysteria quædam continebit pugnantia cum immotis divini verbi dogmatibus? Fieri posset, & ex parte suspicor. An quia desperat author se satisfacturum spei, quam de ea in omnibus terræ angulis, ut est homo jactabundus, excitare laboravit? Crederem, nisi superbia & φιλαυτία eum non tantum excæcassent, verum & communi sensu exuissent. An potius, quoniam omnia quæ se scire credit in antecessum repræsentavit, paucaque specimina totum scientiæ thesaurum exhauserunt? Ita mihi persuadeo: similis enim videtur idiotis illis, qui cum paucas historiolas & lepidas narratiunculas undequacunque suffuratas, exploratas habeant, eas tamen sive oportune, sive ἀκαίρως, in omnibus congressibus proferre ac jactare amant; quo, qui nunquam talia audiverunt, historiarum peritos esse existiment, qui præter suum χαῖρε nihil didicerunt.

SECTIO TERTIA

CAPUT I.

Expenditur argumentum Cartesii contra Scepticos.

PAucis hac ſectione, particularia quædam novæ philoſophiæ dogmata, quo Lector ex iis reliqua noſſe incipiat, proponere decrevimus: ſepoſita autem Dioptrica & Geometria alias examinanda, initium facimus à Renati Metaphyſica, ſcientia tum difficillima tum utiliſſima. Quam late pomæria ejus author extendat, videbimus, ubi placuerit ei integrum illius ſyſtema edere; hodie quippe eam admodum coarctat & paucarum quæſtionum anguſtiis circumſcribit, qui metaphyſico enim authoris ratiocinio noverit probare Deum eſſe, mentem à corpore diſtingui, animam rationalem ſive mentem immortalem eſſe, primæ philoſophiæ epoptes futurus eſt. Quod mirum vero, cum author videri velit Atheorum malleus, ipſeque in epiſtola Meditationum Dedicato-

catoria ad Sorbonam profiteatur se Meditationes eo fine conscripsisse, quo certissimis Demonstrationibus in posterum Atheorum filii refutari queant, docerique esse Deum, adhoc se *Dei patronum qualemcunque* vocet pag. 108. Meditat. Edit. Elz. cum Theologia tamen videri vult nullum omnino commercium colere. Sic enim loquitur in Epist. ad Dinetum pag. 202. *Iam sæpe testatus sum, nolle me unquam ullis Theologiæ controversiis immiscere.* An ergo quæstio de Deo, quæ illius existentiam probat non est habenda Theologica? nec ad rem facit, quod author, ut ipse innuit in jam laudata Dedicatoria Epistola se philosophicis rationibus Dei existentiam probare prætexit: sic enim consors fit communis erroris multorum Peripateticorum, (cum quibus tamen nullum videri vult commercium colere) qui naturalem de Deo cognitionem referre solent, ad Metaphysicam aut primam philosophiam, cum re vera pertineat ad peculiarem disciplinam, Theologiam nẽpe naturalem. Sed omisso leviori errato, quod libenter authori condonamus, (nisi forte cum erronum vulgo o-

omnia ea, quæ difficilia intellectu sunt, Metaphysices titulo condecoranda existimet) rem ipsam putemus, formidabileque illud contra Atheos argumentum expendamus. Primus ergo ejus anulus concedente ipso Renato, ut recte animadvertit primarum Responsionum author pag. 96. Edit. Elz. est hic: *Cogito, ergo sum, imo ipsa cogitatio aut mens sum.* In Methodo Gallica pag. 33. terribili amplius hac Gorgone Scepticos, Pyrrhonis nempe filios ad incitas redigere laborat. Sed quod pace authoris dictum sit, machina hac nequaquam duri obfirmatique fluctuantium Scepticorum animi oppugnari possunt. Dato enim per cogitationem (ut ipse author explicat part. priori Meditat. pag. 178. Ed. Elz. intelligi *illud omne quod sic in nobis est, ut ejus omnes immediate conscii simus: Ita ut omnes voluntatis, intellectus, imaginationis, & sensuum operationes sint cogitationes*: non tamen Sceptici filius necessario adigetur, ut fateatur se esse aliquid, puta vel cogitationem, vel mentem. Nam ut ab Academicis in Scepsi minus exercitatis incipiamus, illi dicerent, sibi videri

deri

deri tantum edere aliquas operationes voluntatis, intellectus, imaginationis, & sensuum; ac proinde argumentum, quod authori nostro instar terribilis Achillis videtur, ita limitarent, ac velut asciam in crura retorquerent; Videor mihi cogitare, ergo videor esse. Sed quid hac ratione efficietur? Pyrrhonii vero cum amplius, ut ex Agellio constat, negarent ne quidem *quid verum videri*, dicerent cogitationem ut ut circa eam Cartesius nugetur, nihil conferre ad probationem suæ existentiæ: cum enim, ut liquet ex Sexto Empyr. lib. 2. Pyrrh. Hypoth. cap. 6. statuerint demonstrari non posse, *comprehendi posse esse intellectum*: Authori nostro imponerent primo hanc provinciam, ut demonstraret ante omnia, dari intellectum, & cogitationem. Nec quid evinceret, etiamsi prolixa meditatione ostenderet cogitationem multarum rerum esse fixam & statam; mox reli caret enim alter sibi videri fixum de re qua somnium esse; eaque accidere posse; imo accidere quocunque

modo cogitanti, quæ accidere ſolent ſomnianti multo minus proficeret garriendo, ut paſſim facit, de cogitationum ſuarum claritate. ut enim ex hiſtoria Scepticorum liquet, claritas rei falſæ & ſomnii præ cæteris ſuſpectam reddidit ipſam apprehenſionem veriſſimorum principiorum. Claritas accidit philoſophiæ quoque Thalmudicæ ac Mahumedicę, nec non earum principiis, utraque tamen notæ ſubleſtæ ac falciſſima eſt. Durioribus nodis conſtricta eſt, ut ex uno Firmico liquet, Pyrrhoniorũ pertinacia, quam ut hoc Carteſii cuneo cõfringi poſſit. Et tamen aliquibus machinis expugnari poteſt, modo quis gnarus ſit methodi, ſecundum cujus leges progrediendum eſt, quemadmodum oſtendimus Diſputatione prima contra Scepticos. Porro ut non amplectimur hoc argumentum Carteſii contra Scepticos, ita magni facimus quod à reminiſcentia eſt deſumptum ad probandam veri ſcientiam; ut eadem Diſputatione docuimus.

CAPUT

CAPVT II.

Examinatur primum Cartesii argumentum contra Atheos.

SEd dato nihil vitii esse in prima illatione, eaque evinci cogitantem existere. Videamus quomodo Cartesius progrediatur: *Si cogito*, inquit, *cogitando ideas rerum in me habeo, ac in primis ideam entis perfectissimi & infiniti.* Per ideas autem intelligit, ut liquet ex pag. 178. part. prior. Edit. Elzev. *cujuslibet cogitationis formam illam, per cujus immediatam perceptionem quis ejusdem cogitationis conscius est.* Ea, quæ à doctissimis viris adversus hæc idearum commenta objecta sunt, & minus feliciter, omnibus æquis & eruditis Censoribus idem mecum statuentibus, à Cartesio soluta, non replicabo: Verbo tantum ostendam progressum hujus argumenti neque ad obfirmatos Scepticos neque ad pertinaces atheos oppugnandos ullum adferre momentum. Sic ergo Renatus: *Si cogito, cogitando ideas rerum in me habeo,* Ad quæ quis ex Pyrrhonis filiis quatuor hæc objectionum momenta mox posset

ſet oſtendere, quæ ut ut omnia agat, nullo tamen modo removere noſter poterit. *Primo*, ergo diceret incertum ſibi eſſe an cogitet, quandoquidem inter ſomnia fixa & ſubtilia, cogitationeſque pertinaces nullum diſcrimen inveniat, nec ullum κριτήριον habeat per quod cogitationes ab ejus notæ ſomniis diſtinguere poſſit. *Secundo*, dato Scepticum cogitare, non tamen propterea agnoſcet cogitationis ſuæ ideas, hoc eſt certas formas: cum enim advertat cogitationes ſuas ſæpiſſime turbari, confundi, & facillimo negotio obſcurari, non poteſt cogitationis ſuæ, quocunque modo ſumptæ, formam agnoſcere, nam ſic cogitationes ſuæ eodem ſemper modo per ideam dirigerentur, ac architectus dirigitur in opere, quod præ manibus habet, per ideam, quam in mente circumfert. *Tertio*, dato iterum Scepticum agnoſcere cogitationis ſuæ Carteſiana ſignificatione acceptę ideas, non tamen ſequitur ideas rerum eſſe; hoc eſt entium realem veramque exiſtentiam habentium; novit enim Scepticus cogitando ſe ſæpe circa Centauros, chimæras & tragelaphos

phos occupari, nec tamen ea entibus realibus accenſeri poſſe, eoque dubitare incipiet an non ideæ res ſimiles entibus his fictis exhibeant, nec quicquam ad rem facit, quod ficta hæc per ideam ad modum rerum concipiantur. Hoc enim ſi quis pertinaciter contra Pyrrhonium quem urgeat, magis eum confirmabit: inferet enim, ſi hæc quæ vis eſſe entia, quod ad modum entium concipiantur, in me habent ideas, etenim quia non ſunt entia, cogitare debeo ut entia, & unde cognoſcam an nō omnia alia quæ inter vera entia cenſentur, iis ſint ſimilia, hoc eſt non ſint, ſed tantum concipiantur ut entia, ſive, ut utar formula Academicorum, videantur ſolum entia. *Quarto*, nullo modo Scepticus cōcedet ideas illas in ſe eſſe, nam ſi in ſe eſſent, ſibi eſſent propriæ, & ut proprias poſſet examinare, ad eaſque omnia alia expendere. Sed poſſidet eas inſtar quarumcunque opinionum & ſomniorū, à quibus cum ob infirmitatem vix ut homo liberari poſſit, eas ut moleſtam quam ſaburram circumfert, hanc ſecus ac dogmaticus falſum quā opinionem, quam quando talem eſſe cognoſcit, quā

primum deponere & veræ locum facere laborat: Si Renatus Scepticorum, Atheorumque terribilis larva videri cupiat, vindicet aut meditando, aut ſolide reſpondendo argumentum ſuum à quatuor his dubiis. Sed quomodo progreditur? hunc in modum: *Cogitando ideas rerum in me habeo, ac in primis ideam entis perfectiſsimi & infiniti.* Ab aliis dicta, quoniam odi illud τὸν δ' ἀπομειβόμενος nolo recolere. Duo tantum dubia pro Sceptico-Atheo moveo, quæ ſi ſolide Carteſius expedire poſſit, virum eum putabo. *Primo*, an non debebit atheus præcognoſcere dari ens perfectiſſimum & infinitum, ut poſſit hunc in modum aut ratiocinando aut meditando colligere: *Ideas rerum in me habeo, ergo & ideam mentis perfectiſsimi & infiniti.* Cur enim non poſſet ſic colligere; ideas rerũ in me habeo, ergo res illæ ſunt ab alio, quem agnoſco quidem ut ſuperiorem cauſſam, non tamen aut infinitum aut perfectiſſimum ens agnoſcere per ullam validam rationem compellor, quoniam hujus rei idea proxime non deducit ad ideam infinitam & perfectiſſimam; & ſi mediate ac per gradus deducat, deducet

tan-

tantum ad caussam primam, quam quomodo perfectissimam aut infinitam cognoscam, quoniam infiniti nullo modo capax est finitum, aut animal multis modis imperfectum capax entis perfectissimi; si eo perveniri ut superius omnibus aliis entibus ens hoc primum agnoscere compellar, sic forte cogitabo infinitum ut adhuc sit finitum, sic perfectissimum ut in eo maneant adhuc quædam imperfectiones, nam in eo est infinita perfectio, cujus ideam neque homo neque angelus habere potest, sed solus Deus qui sui ideam ab æterno possidet. Nec expedit se Cartesius in Responsf. ad Object. primas pag. 121. Edit. Elz. quando sic mentem suam explicat: *Itaque imprimis hic dicam infinitum qua infinitum est, nullo quidem modo comprehendi, sed nihilominus tamen intelligi, quatenus scilicet clare & distincte intelligere aliquam rem talem esse, ut nulli plane in ea limites possint reperiri, est clare intelligere illam infinitam esse.* Glossa hæc per omnia contra ipsum textum & argumentum militat. Idea secundum Renatum est cujuslibet cogitationis forma, per cujus perceptionem quis ejusdem cogitationis

tionis conscius est? Quæro an pro diversa cogitatione eadē an distincta cogitanti cogitatio accidat? Si distincta, ut res ipsa suadet, nę idea debet forma cujusque rei propria esse ostendens rem esse hanc & non aliam, & consequenter mens habens ideam infiniti, cum sit finita habebit formā infiniti. Quod quomodo fieri potest? Si vero Cartesius velit omnium rerum unicam tantum & eandem eamque simplicem ideam dari, nullo modo unica illa idea differentiā inter finitum & infinitum, perfectum & imperfectum ostendere poterit. Ad rem quoque non facit quod Renatus ibid. distinguit, *inter rationem formalem infiniti sive infinitatem, & rem quæ est infinita.* Quomodo enim idea cogitātis, ut vult Atheorum brutum fulmen, poterit ostendere rem esse infinitam, nisi repræsentet formalitatem infiniti quocunque modo sive positivo modo, quod privilegium nulli creaturæ competit, sive negativo modo considerati, neque enim ulli cogitanti obversari potest idea canis, nisi ea formam & formalem canis rationem distincte repræsentet. Eoque dicimus hoc argumenti Cartesiani anulo ne-

lo nequaquam posse constringi Atheum, sed eum solum qui distincte ante novit quæ entis infiniti & perfectissimi pro hominis concipientis modulo ratio sit, hoc est, qui jam novit esse quod ens infinitum & perfectissimum. Vt enim nullus ex Cartesianis cogitantibus potest sic colligere: Habeo ideam latratus, Ergo datur canis latrans, nisi qui præcognovit canem dari eumque latrare: ita neque idea alicujus rei, arguere in aliquo posse dari ideam entis infiniti, nisi cognorit quod sit ens infinitum, quomodo enim mens operose per modum negativum ens infinitum laborabit cognoscere, nisi illud existere, aut saltem possibile esse ut existat, opinetur? *Secundo*, cum ipse Cartesius fateatur Deum ut infinitum & perfectissimũ à nobis cognosci modo negativo, quomodo atheus quis obfirmatus & pertinax, omnem finitatem & imperfectionem à Deo poterit separare nisi ãte Deũ cognorit ut ens primo primũ, quod neque finitatis neque imperfectionis capax sit: hoc est nisi ante sciverit Deum esse ens simplicissimũ, cujus essentialis ratio infinitatem & summã perfectionẽ exigit,

erigit. Sed sic non deducetur Atheus quis eo, ut fateatur Deum existere, sed quis qui jam novit Deum existere, discet eum infinitum ac perfectissimum ens esse. Alia, quæ hic possent objici, quoniam magnam partem à doctissimis Meditationum examinatoribus mota fuerunt, nec solide adhuc ab authore soluta sunt, studio prætèrimus. Quod si vero Cartesius per tritam semitam incedere voluisset, longe compendiosius & securius atheum quem ad Deum deducere potuisset. Hac scilicet via, (progredior vero ex ipsius hypothesibus) si cogito, ideam rerum in me habeo, sed res illæ non possunt esse à se ipsis, ergo debent esse ab alio; cum vero non detur progressus in infinitum, subsistere compellor in quo primo ente quod ante se nullum aliad habent, ab eo vero omnia alia entia dependent: Sed perplexorum Doctor amat per vias obliquas, quæ raro tutę esse solent, incedere; cũque nihil novi dicit, videri tamen cupit novi quid è tripode proferre.

CAPUT

CAPUT III.

Expenduntur reliqua Cartesii argumenta contra Atheos.

EX re est progredi in examinibus argumentorum, quibus præ omnibus aliis Cartesius ut trisulcis fulminibus duros Atheorum animos transverberare instituit, non seligemus autem ea ex Meditationibus erudite à variis examinatis ac expensis, sed ex agmine, in quo Geometrica Methodo author ea ad modum Demonstrationum videri vult disposuisse. Ita vero prima Demonstratio habet, prout occurrit parte priori Meditationum pag. 186. *Idem est dicere aliquid in rei alicujus natura, sive conceptu contineri, ac dicere id ipsum ea de re esse verum: Atqui existentia necessaria in Dei conceptu continetur: Ergo verum est de Deo dicere necessariam existentiam in eo esse, sive ipsum existere.* Paucos ex Atheis argumento hoc qualicunque modo disposito ad incitas adigi posse ipse author facile vidit, eoque & ejus victoria & successu desperans, mox sequenti pagina hanc cautelam addit: *Ejus conclusio*

sia per se nota esse potest iis, qui à præjudiciis sunt liberi : sed quia non facile est ad tantam perspicacitatem pervenire , aliis modis idem quæremus. Quibus verbis Renatus tantundem vult innuere , argumento hoc poterunt moveri quicunque in Schola Contemplativa sunt exercitati , cæteri quia præjudiciis sunt excæcati pili illud non facient. Sed ego existimabam eos qui instar Cartesii meditantur , hisce demonstrationibus non indigere , & nequaquam circa Dei existentiam fluctuare. Profitetur homo se contra Atheos scribere , qui hoc præjudicio abrepti sunt non esse Deum : Ergo Dei existentiam contra eos probare debuisset argumento non minus valido quam perspicuo : Quo successu enim contra durum hoc hominum genus disputes , si argumenta tua neque capere neque intelligere queant, Sed viscera hujus Achillis rimemur , cujus hæc vis ac quinta essentia est: *Datur conceptus de Deo , ergo Deus vere existit. Primo* , Sceptico-Atheus negabit dari conceptum ullum de Deo aut adæquatum aut inadæquatum : non adæquatum , quoniam mens humana , nullo ad-

lo adæquato conceptu ens infinitum concipere poteſt :* non inadæquatum quoque quoniam conceptus objectivus ſecundum Scepticum ut liquet ex Firmico reſpondere ipſi objecto per omnia debet : eoque fallaces omnes conceptus, imo nullos exiſtimat, quicunque inadæquati ſunt. Demonſtrare ergo primo author debuiſſet ea quæ conceptu inadæquato concipiuntur, vero etiam conceptu concipi. *Secundo*, ejuſdem commatis homo nullo modo argumenti hujus fundamentum apprehēdere poteſt, quod ab authore proponitur Axiom. 10. pag. 186. *In omnis rei idea, ſive conceptu continetur, quia nihil poſſumus concipere niſi ſub ratione exiſtentis; nempe continetur exiſtentia poſſibilis, ſive contingens in conceptu rei limitatæ; ſed neceſſaria & perfecta in conceptu entis ſumme perfecti.* Meminit enim Sceptico-Atheus multorum conceptuum, qui minime rerum, quibus reſpondebant, arguere poterant exiſtentiam, qui tamen non tantum conceptus fuere inſtabiles, ſed fixi & conſtantes : meminit quippe melancholicorum, aut antichriſti præcurſſores, aut neſcio quid aliud rei ridi-

ridiculæ esse, nec tamen nullis ex iis cō-ceptibus talis rei existentiam arguere potuit. Quid quod cogitans de mundi hujus architecto sæpe de eo ut homine quo aut semi-Deo conceptum formavit, cum tamen ejusmodi conceptui neque possibilis neque necessaria existentia respondere possit. *Tertio*, cur Sceptico-Atheus quis, cui omnia quæ sunt, videntur tantum esse, ex conceptu de Deo, inferat magis, eum vere existere, quam quasi existere, hoc est, videri tantum existere: quandoquidem ut liquet ex capite primo hujus sectionis, hoc præjudicio gravatus est, omnia quæ sunt videri tantum esse, & consequenter ideas ac conceptus rerum, non tam rerum vere existentium, quam apparentium esse hoc est earum, tantum rerum, quæ videntur solum esse, cum revera non sint. *Quarto*, iterum author præsupponit Deum esse cognitum: quomodo enim conceptus de Deo, poterit deducere ad necessariam & perfectam existentiam in conceptu entis summe perfecti, nisi exploratum ante sit Deum debere esse ens summe perfectum, & qualia ac quot perfectionis illius, quocunque modo consi-

consideratę, momenta esse debeant. *Quinto*, nusquam author, ut ut omnia agat, atheo eique qui ignorat esse Deũ, probat Deum existere, sed tantum quadantenus ostendit, quomodo ex Cartesianę Metaphysicę methodo hoc colligi ab eo possit, cui jam exploratum est, Deum aut numen quod esse. Quomodo enim ex conceptu de Deo, quis colligat Deum existere, nisi sciat conceptũ eum respondere enti alicui, quod Deus est: quemadmodum enim ex conceptu equi, nemo potest colligere equum existere, nisi ante sciat quid sit equus, item conceptum eum equo convenire, ita neque ex conceptu Dei; quis potest colligere Deum existere, nisi ante sciat quid sit Deus, cui conceptus ille respondere debet.

CAPVT IV.

Quam feliciter Cartesius probet mentem à corpore distinctam esse.

ANtequam à Metaphysica Cartesii ad Physicam illius transimus, ex re est expendere argumentum, quo probat mẽtem à corpore realiter distingui, feligi-

seligimus autem illud ex rationibus geometrico more dispositis, inter quas Propositio quarta occurrens pag. 190. ita habet: *Quicquid clare percipimus, à Deo fieri potest, prout illud percipimus: sed clare percipimus mentem, hoc est substantiam cogitantem, absque corpore, hoc est, absque substantia aliqua extensa, & vice versa corpus absque mente; Ergo saltem per divinam potentiam mens esse potest sine corpore, & corpus sine mente. Iam vero substantiæ, quæ esse possunt una absque alia, realiter distinguuntur: Atqui mens & corpus sunt Substantiæ, quæ una absque alia esse possunt; Ergo mens & corpus realiter distinguuntur. Primo*, assensum nullus præbere potest huic effato ut universaliter vero: *Quidquid clare percipimus, à Deo fieri potest, prout illud percipimus.* nam clare dilucide, & distincte percipimus duo contradictoria, nec tamen Deus secundum communem & verissimam philosophorum sententiam, facere potest duo contradictoria ad eum modum quo à nobis concipiuntur, hoc est, ut contradictoriorũ rationem habeant. *Secundo*, non tam clare, ut author sibi ima-

imaginatur, omnes percipere possunt mentem sive substantiam cogitantem absque substantia aliqua extensa: nam ita quis cogitare posset: quanquam mens mea non est, extensa ad modum mei corporis, forte est extensa ad modum substantię æthereæ, subtilissimæ illius substantiæ, in qua author globulos invenire potest. nequid dicamus de iis (quos nos tamē nequaquam sequimur) qui voluerunt animam rationalem temperamentum esse. *Tertio*, quid evincitur priori hac conclusione contra eos, qui Animæ immortalitatem negant? *Ergo saltem per divinam potentiam mens esse potest sine corpore, & corpus sine mente.* Quid si quis dicat per Dei potentiam extraordinariam animam canis conservari quoque posse extra ejus corpus, ergo conclude & eam esse immortalem. Verum quidem, authorem profiteri, se noluisse ex professo mētis, sive animæ humanę immortalitatem in medit. probare, sed tātū animā à corpore distingui. Sed cum manifestum sit, illius scopum fuisse per argumenti hujus subsidium eos etiam aggredi, qui Epicuream de animæ rationalis mortalitate sententiam etiamnum hodie in sinu amplectuntur
in an-

in antecessum aperte satis iis indicat, quibus telis profanam illam sententiam confodere possit. Existimo enim authorem ipsum argumenti hujus incertitudinem vidisse, & proinde non ausum fuisse progredi ad demonstrationem immortalitatis animę ut ipse & liquido docet pag. 169. *Quarto*, quomodo reciproce sequi potest, quod author tacite tamen innuit: Per Dei potentiam mens à corpore separari potest, ergo mens non est substātia extensa, quādoquidem authori, ut innuit p. 191. perinde est utra Dei potentia, ordinaria an extraordinaria intelligatur. Etenim secundū similis sequelæ certitudinem concludas animā porci, aut asini non esse substantiam extensam, quandoquidem & ea per extraordinariam Dei potentiam à corpore separari, & extra illud existere potest. Si dicat vero Author reciproce se nolle hoc axioma procedere, demonstrationis suæ non tantum incertitudinem liquido ostendit verum & sibi contradicit; nam propterea statuit mentem non esse substantiam extensam, sed aliam à corpore, quoniam per Dei potentiam ab eo separari potest. Vnde secundum eum se-

qui

qui etiam debet; Omne illud non esse substantiam extensam, quod à corpore per Dei potentiam, ordinariam an extraordinariam non refert, separari potest. *Quinto*, sic progreditur: Substantiæ quæ esse possunt una absque alia, realiter distinguuntur, & ne quis dubitet Lectorem ablegat ad definitionem decimam præcedentem. Sed quid si per extraordinariam Dei potentiam anima bruti extra brutum conservaretur, & ea absque bruti corpore esset, an inde sequeretur eam non esse dependentem à corpore & realiter ab eo distingui, hoc est, non esse substantiam extensam, quoniam est materialis. Scio quid Cartesius cum suo Medico responsurus sit, bruti eandem esse rationem quæ horologii est, & illud quod pro anima, substantia vivente in eo vulgo habetur, nihil prçter solam partium dispositionem esse, per quam haut aliter ac horologiũ aut quodcunque aliud automatum operationes & actiones vitales exerceat. Verum speciosum illud commentum, quod tantum similitudine qua nititur, nullus unquam amplectetur; nisi qui sponte cum Cartesio insanire voluerit.

Sexto, quorſum tam operoſe probatur, incertaque & fallaci demonſtratione, ut ex iis quæ diximus liquet, colligitur, animam rationalem ſive mentem à corpore diſtingui, quandoquidem ipſe author, ut modo oſtendimus, fateri cogitur, parum aut nihil illud facere ad probandam ipſam immortalitatem? An non ſic tacite innuere videtur non poſſe ſolide demonſtrari ex lumine naturæ animæ rationali immortalitatem competere? Omnino maximè cum ſic loquatur pag. 169. *Neque enim tantum mihi aſſumo ut quicquam de iis quæ à libera Dei voluntate dependent, humanæ rationis vi determinare aggrediar.* Verum quidem eum progredi mox eadem pagina; & quadantenus tentare demonſtrare animam immortalem eſſe, ſed nihil aut parum proficere poteſt tali argutatione. Præſupponit enim nullam ſubſtantiam interire, innuendo nullas dari formas ſubſtantiales, excepta mente quod æternum non probabit; Item uni corpori accidere mortem, quaſi vero aut vita eſſentialis, propria menti oppoſitam habeat mortem: aut vita accidenta-

ria

ria quæ oritur ex unione animæ & corporis ſic propria ſit corpori, ut ei ſoli accidat oppoſitum, mors nempe; & non potius philoſophice loquendo mors dicat unionis animæ cum corpore diſſolutionem. Ad hoc vult mortem corpori accidere ob ſolam aliquam diviſionem aut figuræ mutationem, ac propterea animam rationalem ſive mentem non poſſe dici mori, quod omnis extenſionis, ac conſequenter etiam figuræ, quæ dicit extenſionis terminationem, ſit expers. Quaſi vero aut ſemper moriatur homo quando corpori ejus aut diviſio aliqua accidit, puta digiti à manu, aut figuræ mutatio oboritur, quemadmodum in iis, quos ſenium incurvat, eſt animadvertere: aut valida hæc ſit ratiocinatio; mens ſubſtantia inextenſa ac figuræ omnis expers, nihil incommodi perpeti poteſt vel ab aliqua diviſione, vel figuræ mutatione, ergo mortis privilegio gaudet, immortaliſque ab omnibus haberi debet. Atheus enim & Epicureus quis mox exciperet, dari poſſe alias mutationes, aut contrarietates, per quas humana anima annihiletur.

Enimvero, quicquid librorum contemptori Cartesio videatur, Thomas Aquinas 1. part. qu. 75. decuplo solidius animam immortalem esse probat, ex eo, quod in tota rerum natura non possit dari contrarietas, quæ ullo modo menti, aut rationali animę officiat. quod argumentum, jam inchoatum, si Renatus pertexuisset, aliquid, sed nihil interim novi præstitisset. Et tantum de examine Metaphysicæ Cartesianę, quæ quanquam prolixe ac intricate in sex Meditationibus ab authore, qui ubique videri vult cornici oculos, proponitur, paucissimis tamen aphorismis comprehendi potest; ut ipse innuit, quando p. 178. ad paucas pagellas constringere instituit, quæ ad tædium & somnum lectorum diffuse & inordinate in ipsis Meditationibus proposuerat.

CAPUT V.

Breviter examinantur principia constitutiva rerum naturalium excogitata in Cartesianorum cerebro.

DEin paucis perstringere debemus Renati Physicam, in qua si homini

sua-

suarum laudum haut parco credimus, plus duobus suis emissitiis oculis vidit, quam tot antiquorum & recentiorum philosophorum agmina. Omnia sigillatim examinare nolo ? quem juvet enim instar melancholici Domitiani muscas acuminató stylo confodere, & ad examen vocare febricitantium somnia. Præcipua novæ philosophiæ capita molli tantum brachio librabo, nec tam confutare, quam detegere conabor. Quod aliquando enim Hieronymus ad Pelagianos dixit: *Sententias vestras prodidisse refutasse est*, examussim in abortivæ hujus philosophiæ dogmata quadrat: quisquis ea remoto supparo detegit, simul solidissime refutat. Initium autem facimus à principiis, de quibus mustearum opinionum magistri Aristotelis exemplo in ipso naturalis Philosophiæ vestibulo agunt. Repudiatis vero prima materia & formis substantialibus excepta una anima rationali, principiorum loco agnoscunt, Materiam corpoream, Motum, Quietem, Magnitudinem, situm & Figuram, quæ ut omniũ animis perpetuo, velut scientiæ physicæ instructissima promptuaria ob-

nimalibus : *Atque ita cognitionem physiologicã per nostra perspicua principia, pro brevitate, qua hic utimur, expedivimus: quia antiqua dicta, quæ Peripateticis adscribi solent, ut multi ingenui & ingeniosi etiam ante nos viderunt, in omnibus claudicare deprehenduntur?* nisi quis forte amplecti malit alteram rationem, quam ideam Philosophus in Dictatis physicis habet, sub quorum vestibulum ita pro loquitur: *Hæc principia à me jam explicata, quam maxime sunt intelligibilia, quæ vero ab aliis statuuntur, captum humanum superare videntur.* At qui sunt illi ἄνδρες Fraterculi extra Cartesii familiam, quibus principia hæc maximè intelligibilia sunt? Ambulantne cum pexis togis, an cum nigris turricis, an vero sordidis lacernis? Consobrini si sint Marci Damæ viri in quinta classes & inter summæ caveæ inquilinos admodum celebris, pessimi veritatis Philosophicæ judices habendi sunt. Populare judicium in sacris Physicis & circa Philosophiæ arcana haut magis attendendum, ac pannosæ Baucis somnium.

Rasæ tabulæ, ignorantiæ alumni, Cartesianæ oblivionis helluones, librorum jurati hostes, ea philosophiæ principia, ut sufficientia ac maxime perspicua amplectuntur, quæ semel duntaxat declarari audiverunt, quoniam cum aliarum sectarum principia explorata non habeant, inter similis farinæ homines sophorum titulo & applausu gaudere nō possunt, nisi identidem crepent hæc in strepitu collecta principia, ac identidem ut Augusti corvi suum χαῖρε καῖσαρ repetant. Si principia hæc sunt maxime intelligibilia, næ etiam maxime demonstrabilia esse debent. maxime intelligibile est panem, quo animalia aluntur, non ex ferri scobina, sed ex farina componi, & ut est admodum intelligibile, facile etiam cuivis prope pistoris furnum est demonstrabile. Si novę philosophiæ alumni principiis suis maxime intelligibilibus patronos inter omnis generis homines serio quæsitum ire cupiunt, ostendant ea quam maxime demonstrabilia esse, quod non poterunt compendiosiori methodo præstare, quam si ostendant non garriendo sed solide demonstrando eorum principiorum non

solum

ſolum veſtigia in omnibus, quæ proponentur, rebus naturalibus, inveniri, ſed per ea amplius rationem reddi poſſe omnium operationum naturalium. Si volunt enim principia omnibus rebus naturalibus communia eſſe, næ in quacunque re naturali, minima etiam, illius veſtigia demonſtrari poſſunt, eorumque ſubſidio liquidę veræque cauſſæ adferri omnium, operationum quæ in ea inveniuntur. Si dicant ſe in aliquibus hoc oſtendiſſe, tantundem probant, ac ſi fatuus quis oſtenſurus omnia cujuſcunque generis animalia à ſe lætho dari poſſe, ad ſuffragium vocaret pediculorum agmina non quidem malleis in incude contuſa, ſed ferreorum ſcilicet ſuorum unguium cuſpidibus haut aliter contrita, ac inter molares lapides frumentum ſolet. Dato enim (quod nunquam probabitur) per hæc principiorum commenta, quorundam phyſicorum myſteriorum, naturæve arcanorum penetralia reſerata eſſe, nequaquam tamen inde ſequetur, ea principiorum verorum & ſufficientium, reſpectu ſcilicet omnium rerum naturalium, rationem habere poſſe. Principia phyſi-

ca non in hoc aut illo solum corpore naturali locum habent, sed in omnibus. Quanquam vero Cartesianorum mysteriorum epoptę per nova hæc principia quorundam naturæ effectuum veras adæquatasque caussas adferre posse videntur, nequaquam tamen omnia principiorum requisita conditionesque propterea iis procurari possunt. Enimvero Valentiniani & Secundiani præsupponendo totum mundum factum esse ex sudore & metu Æonum, item Audiani principiorum loco jactantes aquam, ignem, & tenebras videbantur, sibi & quibusdam aliis non insubide ex talibus principiorum portentis quædam naturalia mysteria explicare; quis sanæ mentis tamen explosa antiqua de principiis sententia, hæc somnia patrocinio suo dignari velit? Aut potius, ut pluris hominum ineptias facere videamur; an non Heraclitus ex igni, Diogenes ex aëre, Thales Milesius ex aqua; Hesiodus ex terra, Pythagoras ex decem contrarietatibus, ac denique Democritus & Epicurus ex atomis velut principiis (ut persuadere laborabant) sufficiẽtibus propriisque multa in naturali philoso-

losophia admodum obscura ingeniosissime illustrarunt? quis tantus tamē maccus qui mox concludere velit, omnia illa principia physiologiæ substerni posse, quia authores longe Cartesio celebriores, nec ingenio inferiores ea ut vera ac adęquata ostentarunt, visique sunt ex iis non insubide quædam explicare? Ex principiis rerum naturalium ut omnia sunt, ita in omnibus inveniri debent, & quidem sine face, si maxime perspicua & intelligibilia sint. Non est quod tergiversentur Flavii, aut Peripateticos incessant, quæ ab his principia statuuntur, in omnibus rebus naturalibus inveniūtur & ostenduntur. Quando enim materiam secundam manus palpant mens præjudicio non abrepta colligit concedendam esse materiam quam communem, simulque liquido ex operationibus, quas ipsi sensus percipiunt, ad substantialem formam operationum principiū, fontem, & custodem ascendit. Si animus jactabundis novatoribus, cū aliquo antiquę philosophię antistite per omnes rerum naturalium species progrediantur, quam ipse suam materiam & substantialem Formam prodere

potest. Non sufficit dicere aliquod ex fictitiis principiis in rebus naturalibus deprehendi; simul probandum est illud vere principii rationem habere, quia ut nō est ex alio, ita nec ex eo omnia. Thales ostendere quidem potuit in plerisq; rebus naturalibus aquę suæ vestigia, sed non æque facile probare eam unam adæquati verique principii rationem habere. Quod ad rem in rebus naturalibus, ut Cartesius vult, inveniri commodam partium dispositionem & figuram, aut comprehensionem motus & quietis, magnitudinisque, in illis invenitur etiam color sed an propterea principiis accensendus est? Nec ad rem quicquam faciet, si Cartesianus quis dicat, coloris subsidio nulla naturæ arcana explicari posse, qui scit enim an non propediem phantasticum aliquod caput surrecturum sit, quod inventa commoda qua similitudine, ad plebeculę plausum ex colorum penetralibus æque clare ac ex novis principiis, D. Renatus totam physiologiam eruat. Sed propius cum his principiorum monstris congrediamur: In novorum Pythagoreorum versiculo primos ordines ducit mens

mens, per quam animam rationalem intelligunt. Sed quorsum misera anima, quæ socium in toto naturę theatro non habet, vice principii jactatur? An quia principium operationum in homine est? An potius quia sola formę substantialis nomen meretur? si nossent Novatores principiorum physicorum rationem, aut mentem iis non accensuissent, aut simul trecentis versibus, illud quod in quaque naturali specie (ex sua sententia) illius sive substantialis formæ vicem supplet, complecti laborassent. Vt enim mens in homine multarum operationum principium est, ita ex nova Cartesianorum sententia in reliquis naturalibus rebus horologio non dissimilibus, specialis partium dispositio & figura propriarum definitarumque illis operationum est principium. Sed cur specialis illius dispositionis figuræque non æque mentionem faciunt, ac mentis; ea enim non tantum mentis est vicaria, sed æque cuique speciei propria & peculiaris est, ac hæc homini. Nisi forte hoc factum oportuit ut viderentur in rationali anima easdem, prærogativas agnoscere, quas prædicant,

cant, qui immortalitatem per naturam ei competentem, contra Atheos Libertinosque, solidius, quam à Cartesio factum est, defendere laborant. Ἀρχιμήδειον σόφισμα! circa alias controversias exploratissimum infausti Fausti filiis? Sequitur *Mensura*. Per quam si Medico arcanorum omnium conscio credimus in ante laudata disputatione, novus Pythagoras intelligit, *quantitatem omnem tum continuam tum discretam, sive magnitudinem & numerum.* qui quando deinceps gloriatur per hæc principiorum commenta omnium corporum naturalium effecta & affectiones clarissime intelligi posse, velim doceat quot parasangis à magiæ qua directæ qua indirectæ patronis fautoribusque socii sui discent, quando mensuræ nomine tum magnitudinem tum numerum comprehendunt. Etenim si affectiones & effecta corporum naturalium à magnitudine & numero ut principio effectivo (totali an partiali non refert) pendent, næ magnitudo & numerus qua tales aliqua efficientia physica gaudent. Sed hoc hactenus, unos omnis commatis magos si excipias, non tantū famoris

nioris philoſophiæ conſulti, ſed quotquot ſenſu communi rite uti ſciverunt, exploſerunt. Quid (ut exemplo utamur) ad cerebri enim operationes conducit quod in eo duæ glandulę una conaria, altera pituitaria numerentur? aut ad operationes interiorum viſcerum quod duodenis utrimque coſtis muniantur? omnia licet agant myſteriorum epoptę, nunquam evincent propterea tibiis alios effectus, affectiones, & operationes cōpetere, quam digitis, quia his longiores ſint, nec propterea corvū longævū magis quam muſculum eſſe, quia eo major eſt. Accidit quidem rebus corporeis magnitudo, non tamen principium eſt operationum, quæ ab illis eduntur. Ipſa enim eſt ἀργὴ & prorſus otioſa. Nec ad rem facit, quod quæque res corporea ſuā habeat quantitatem, ergo conclude colorem etiam principii rationem habere. Menſurā excipit, *Motus*. Localis ſcil. qui, ſi hominibus ad riſum uſq; ineptis credere volumus, propterea excluſis aliis motus ſpeciebus, quoniam *motus generationis, corruptionis, item accretionis & decretionis, nec non alterationis ſunt tantum varii motus locales*, quaſi vero propterea

homo

homo & bestia non intelligantur per animal, quoniam sub animali continentur; aut qui dicit efficiens caussa, propterea non intelligat pariter caussam efficientem independentem etiam dependentem, quoniam sub caussa efficiente in genere sumpta continentur. Sed hac de re postea pluribus. Quomodo vero lepidus hic motus, qui ipse ab alio principio provenit, principii rationem habere potest, & quidem talis, quod substituetur in locum materiæ primæ substantialisque formæ. Nisi forte omnis rerum naturalium affectio, & consequenter etiam locus ac tempus adæquati & veri principii physici rationem habere possint. Nec est quod clament per localem motum multas rerũ physicarum operationes edi. Non quæritur quomodo & qualiter operentur, aut producantur corpora naturalia, sed qualia sint eorum principia constitutiva intrinseca: nisi forte horologii motus, in quo ut in speculo novi Flavii aquilinis quasi oculis totius naturę scenam videre possunt, haberi etiam debeat principium horologii constitutivum. Sed quis sanus hoc dicat? per

motum rotarum suarum, horologium differentiam horarum judicat, non tamen constituitur in suo esse. Si vero, propterea motus principii rationem habere debet, quoniam per motum res naturales constituuntur; suo esse & operationes exercent, næ pariter Deus Opt. Max. principii physici constitutivi pari jure rationem habere poterit: nam non tantum in initio temporis omnibus rebus dedit suum esse, sed & amplius cum omnibus caussarum secundarum actionibus tum immediatione virtutis tum suppositi concurrit. Meminisse deberent authores se explosisse materiam primam & omnes substantiales formas, excepta una anima ratioanli, eorumque locum subire motum cũ principiis sociis. In locum principiorum intrinsecorum citra intolerabilem errorem substitui non possunt principia externa, aut internorum affectiones. Sed quid tandem post motum in serie novorum principiorum succedit? *Positura*, per quam intelligunt situm, qui à Medico in dictatis definitur: *Ipsa corporis inter corpora positio*. Sed quomodo accidens hoc principii cõstitutivi rationem habet?

habet? subsequitur enim corpora jam constituta, æque ac color. Nisi forte propterea in ordinem principiorum adoptari debeat, quoniam à dispositione partium in horologio, vera illa Archimedis sphæra (si erronibus credere volumus) omnis motus provenire videtur. Sed si hoc verum esset, frustra horologiis adjungerentur pondera, quæ instar externi motoris sunt. Quam otiosa vero, omnisque activitatis per se expers sit bella hæc POSITVRA arbores frigore extinctæ rusticos etiam docere possunt. Si distinguere aut vellent, aut possent novæ philosophiæ alumni inter conditiones & requisita ad agendum, & actionum principia, aliter philosopharentur. Vt incedere possit animal pedibus bene ordinatis indiget, nec tamen pedes per se incessus aut caussa, aut principium dici possunt: alias enim & mortuus canis salvis pedibus instar viventis currere posset. Ex principiis persomnium excogitatis sola *figura* superest, quæ, Medico in Dictatis teste, nihil aliud est, quam *ipsius extensionis terminatio*. Videant vero inauditi hujus principii archtecti, ne dum physicam
refor-

reformare laborant, magiæ illicitæ principia quantum in se comprobatum eant. Figura enim qua talis, omnibus qui cor habent, astipulantibus, ἀρχὴ per omnia est: & quanquam quasi conprincipium est in motu locali operationibusque quæ per eum motum fiunt, nequaquam tamen vel quasi conprincipii rationem habere potest in operationibus quæ fiunt per alterationem. Etenim si figura per se universalis principii rationem habet, à quo omnigenæ operationes proveniant vicerint Magiæ diabolicæ patroni, qui incautis persuadere laborant figurarum certatum virtute tot admiranda, quæ jactare solent, naturaliter effici posse. Existimat quidem Medicus se ictum hunc declinare posse, quando dicit: *Magos figuras considerare sine materia, se vero cum materia.* Sed. meminisse debuisset, aut ex aliis discere, magię consultos delectum quoque materię habere in qua aut characteras, aut cruces, aut alias figuras exarent. Non dico, musteam philosophiam esse Magicam, sed pericula tan-

tantum, quæ ex ea, si principatus illi contingat, oboriri possent, annoto; quemadmodum ante hac quoque à celeberrimo Voetio factum fuit, in quem quando Renatus in scurrili Epistola pag. 199. ita debacchatur; (*Homo usque adeo stelidus (aut, si mavult, malignus) ut philosophiam meam in Magiæ suspicionem voluerit adducere, quia figuras considerat*) animi impotentiam prodit. Si vir videri cupiat Novator, ostendat quot passus sentẽtia sua sine fuco & involucris proposita ab occultis revelatisque magiæ patronis distet, aut eum pro stolido sycophanta in posterum habebimus. Et tantum quidem de superbæ philosophię principiis.

CAPVT VI.

Quid existimandum sit de particulis insensibilibus Cartesianorum & materia sensibili ex iis conficta.

Explosis formis substantialibus omnibus, una rationali anima excepta, ne pariter Novatores omnem substantialitatem submovere videantur, materiam illius promptuarium principiumque

piumque esse fingunt. Sic enim inter alia oracula Medicus in vestibulo dictatorum Physicorum hariolatur: *Quicquid in rebus naturalibus præter mentem humanam est substantiale, totum illud à materia, sive substantia corporea originem ducit.* Sed si hoc effatum admittendũ, simul nos bardos novus Pythagoras edoceat, quomodo res naturales substantialibus differentiis à se invicem differre queant: nisi forte solis accidentibus, res toto cœlo distinctæ, secundum novæ philosophiæ principia differre debeant. Omnia agat, perreptetque totum nugarum suarum stabulum, in exilium ablegatis omnibus formis substantialibus, una excepta mente, nihil inveniet quod substantialem differentiam progenerare queat. Clamat quidem alibi multa de essentiali differentia, sed ut rerum ignaris glaucomam ob oculos objiciat. Libenter damus formam quamque, & consequenter etiam accidentariam composito essentialem, v.c. candorem candido: sed ut quævis forma non est substantialis, ita neque quævis essentialis differentia à forma essentiali dicta proveniens substantialis aut haberi aut

ri aut vocari potest. Recolamus vero Medici verba modo ad partes vocata: *Quicquid in rebus naturalibus præter mentem humanam est substantiale, totum illud à materia sive substantia corporea originem trahit.* Si tota ratio substantialitas omnium rerum naturalium ab una materia corporea est, nec substantialitatis materiæ nullum principium dari debet, & consequenter eam per se habebit: sed si per se eam habet substantia simplex evadit, utpote substantia ex nullis principiis substantialibus composita, acciditque ei per accidens ut modo hæc, modo illa accidentia recipiat per quæ accidentaliter distinguatur. Sed si hoc verum, quodnam principium quãtitatis est, quæ huic materię, utpote corporeæ, sine piaculo eripi non potest? aut quæ ratio, quod mens, quæ æque substantia, quantitatis omnis expers sit? utraque enim substantia secundum Cartesii principia, completa & simplex est. Si dicatur substantiã in communi sumptam proximo dividi in substãtiam corpoream & incorpoream, ulterius quæram quodnam ejus divisionis sit fundamentũ, & cur non omnis substan-

ſtātia ſit corporea & conſequēter quanta Neceſſum ergo aut ad commune omnibus ignorantiæ myſtis aſylum (Dei ſcil. creatoris omnipotentiam liberamq; voluntatem) confugiant, aut fateantur quid inveniri in ea ſubſtantia, quam corpoream vocant, quod non inveniatur mente, & propterea illam eſſe quantam, non vero hanc. Vnde enim corporeæ ſubſtantię quantitas determinata erit, ſi non ſit principium determinans; nihil quippe ſe ipſum determinare poteſt: aut cur non ſubtilior aëris quantitas, paulatim æque laborabit condenſari ac quātitas quæ terra eſt, niſi peculiare quod in aëre ſit principium, forma ſcil. ſubſtantialis, quæ ut materię quantitatem in ſe indeterminatam certo modo in aëre determinavit, ita eam determinatam conſervat, ne ratio determinationis materię aëri accidentis confundatur, cum materia peculiari modo per propriam formā in terra determinata. Sed videamus deinceps quæ in materia hac corporea Novatores conſiderare ſoleant? Sic autem Medicus in dictatis Phyſicis pergit: *Materia hæc diviſa eſt in partes inſenſibiles & ſenſibiles: partes inſenſibiles ſunt,*

vel

vel motus sui celeritatem fugiunt sensus. Hæ itaque non sunt atomi, verum indefinite divisibiles: nec semper ejusdem sunt magnitudinis aut figuræ, sed quantum ad talia, idem de ipsis, quod de reliquis corporibus est dicendum. Quamvis autem ad illas particulas alii philosophi non multum attendere soleant, nos tamen ex illis plurima naturæ mysteria pendere arbitramur: quia sine his nec acrimoniæ, nec lenitatis, nec subtilitatis, nec crassitiei, nec infinitarum aliarum qualitatum ratio reddi potest: his autem positis, omniũ intelligibilis est explicatio. Quis non crederet novos hos Magistros præ omnibus aliis Promethea faventem habere, nuperque admodum prodiisse ex secretioribus naturæ penetralibus, ac omnia nuda vidisse manibusque palpasse, adeo graviter ac cum supercilio nugas suas proponere sciunt, ne scilicet eas probare simplicioribus cogantur. Sed expendamus hanc materię distributionem. Argis his si quis credere velit, dantur quædam materiæ partes adeo exiles, ut sint insensiles, & aut ob suam exiguitatem aut motus celeritatem fugiant sensus: nihilominus mysteriorum epoptæ, qui sciunt etiam quid

quid rex reginę in aurem dixerit, certo ſciunt eas non ejuſdem magnitudinis aut figuræ eſſe. Sed an hoc oculorum acie, an vero mentis diligentiori indagine explorarunt? Enimvero quomodo quis aut viſu, aut quocunque alio ſenſu cognoſcere queat diverſæ aut magnitudinis aut figuræ res illas eſſe, quæ plane inſenſiles ſunt omnemque ſenſum fugiunt. Nec δεύτερος πλοῦς, ſive ratio, ulli hic etiam uſui eſt. Non poteſt quippe certo, de rei, quæ ſub ſenſum non cadit, ſive figura ſive magnitudine hariolari. Tantum enim ſi valeret, ſimul apud ſeſe decempeda infernum dimetiri illiuſque figuram carbone delineare poſſet. nec hilum ad rem facit, quod ipſius Archimedis mens hanc figuram aut magnitudinem rei, quæ ſub ſenſum non cadit, maxime convenientem eſſe ſtatuat. Deus ſapientiſſimus omnium rerum architectus hominum ſapientiam, quæ non poteſt attingere ad abyſſum divinæ ſapientiæ, novit proſtituere. Iudicat quidem ratio in pulvere erudito non peregrina, cælo empyreo circularem figuram maxime cõvenire, ſed quis novit, an non illius conditor & rector

dratam aut circularem figuram tanquam ei magis convenientem, contulerit. Non expędient quoque sese mysteriorum horum patres, si dicant diversitatem hanc magnitudinis & figuræ à se cognosci ex diversis operationibus; sic enim iterum ringentibus omnibus Theologis ac Philosophis, in sinu vero magorum filiis gaudentibus, magnitudini ac figurę quibus nulla operatio convenire potest, efficaciam viresque ad operandum affingere debebunt. Sed scire velim quomodo insensiles hę particulæ, quæ ipsos sensus fugere dicuntur, crassitiei caussæ esse possint. Nisi forte crassities etiam sit insensilis. Si dicant crassitiem oriri ex magnitudine insensilium partium, (ut innuit idem Medicus in iisdem dictatis) ridiculos se præbent. Quorsum enim partes, magnæ vocentur insensiles; nisi forte indivisibili puncto possit etiam magnitudo assignari. Sed doceant velim quomodo minimus acarus, quem oculus vix capit, possit concipi cētuplo minor (talia enim somnia hominibus his obversari debent) & tamen esse physice divisibilis habereque magnam figuram. Boni viri qui mathesin

thesin suam phisiologiæ promptuarium esse volunt, cogitare deberent aliter quantitatem minimam etiam mente dividi posse, aliter vero physice. Mens mea quancunque lineam potest dividere in infinitas partes, (neque enim ulla pars tam exigua est, quin ea adhuc minor cogitari possit) sed simul actu ac physice in infinitas illas partes ea dividi non potest. Insensiles hæ particulæ sunt particulæ physicæ, quibus quomodo convenire possit esse insensibilibus & sub nullum omnino sensum cadere, ac tamen physice divisibilibus & figura præditis esse, quotusquisque capiat. Sed amplius doceri velim quomodo insensibiles hæ particulæ, & tamen divisibiles ac figuratæ, coire queant ad res naturales absolvendas. Temerario enim & fortuito eas concurrere non existimo, sed per certum quem rectorem cogi. At quis ille est? num anima mundi Platonica? an vero ad portum locumque communem omnis ignorantię confugiendum erit; & quoniam in natura nihil occurrit, Deus sollicitandus? Nisi forte fingere oporteat cum Academiæ principe in Timæo Genios aut si semi-Deos, qui

officio hoc defungantur, si fides adhibenda novorum monstrorum novis architectis particulæ hæ insensibiles sunt, quia sensum fugiunt: sed si sensum fugiunt quomodo ergo esse & in rebus inveniri dicuntur; aut quæ ratio eas dari evincit? etenim intelligentiæ sensu nullo cum percipi possint, nequaquam ut actu existentes apprehenderentur, nisi ratio suaderet non improbabile esse dari creaturas incorporeas. Audio quidem cornicantes novos philosophos, & pro particularum harum insensibilium reali existentia adducere sua commenta de lenitate, acrimonia & crassitie: sed volens nolens, dum umbram illam rationis lustro, in cachinnum erumpere compellor. Eadem plausibilitate Apella quis probet Leviathan cauda sua sustentare terræ globū, quoniam per eum rationem scit reddere non tantum omnium terræmotuū, verum etiam recōditi arcanique æstus marini. Non quæritur an Cartesianus quis per falsam hypothesin suarum insensibiliū particularū rationem reddere possit secundū suum concipiendi modum acrimoniæ, lenitatis, ac crassitiei; sed an dentur tales particulæ

ticulæ inſenſibiles, è quibus ejuſmodi opinionum portenta queant extrahi. Nec magis me, aut quem alium qui cum Thracibus nimis ſimplex eſt, quam ut decipi queat, movere poteſt bella ſimilitudo & in textrina nata de filamentis ſericis: quis Genius enim noſtris Endrunionibus revelavit omnia corpora naturalia ſimilia eſſe telæ bombicinæ contextę ex ſubtiliſſimis filamentis? dein quis dixerit ſubtiliſſima filamenta omnem ſenſum fugere? Arânearum filamenta multo adhuc ſubtiliora ſunt, & oculus tamen maleficio nullo affectus ea animadvertere poteſt. Quicquid novatoribus videatur, ea quæ ſingula omnes ſenſus bene diſpoſitos fugiunt ne quidem coacta aut conſtipata eos officere poſſunt. Angelicam ſubſtantiam individualem nullus ex ſenſibus, ut ut ſubtilis ac ſubactus animadvertere poteſt: nec magis percipiet inſenſibiles illas creaturas, ſi millenæ etiam coëant ac congregentur: Idem animadvertere licet circa animales ſpiritus, quos ut ut collectos & coacervatos ne ipſius quidem Argi oculus animadvertere poteſt in animalis capite recluſo aut trepano

Perforato; eoſque magno agmine coacervatim exeuntes haut magis animadvertere poteſt, ac ſi per exiguas portiunculas foras prodirent. Quid vero ex myſticis his particulis inſenſibilibus cõponitur, quiſve earum uſus? docet Medicus ita philoſophans in dictatis ſuis Phyſicis: *Partes ſenſibiles, quæ ex multis inſenſibilibus compoſitæ ſub ſenſum cadunt, quemadmodum ex. gr. ex filamentis pluribus ſericis, quæ nullum colorem ſingula habere videntur, componitur filum, albo, flavo, vel alio colore tinctum.* Sed quæ tam ſpecioſa ſimilitudine ad illuſtrationem probantur, ſolide quoque demonſtrari deberent. Si materia ſenſibilis conflatur inſtar panni ſerici ex ramentis ac velut naturalium corporum filamentis, edisserant muſtei hujus ſomnii fautores qualis ſubſtantiæ ſint filamenta inſenſibilia, ex quibus ſubſtantia corporea ſenſibilis contexitur. Suntne portiones ſubſtantiæ cæleſtis, an elementi, an corporis mixti, an omnium horum. Si omnium, liquido differentiã triplicium harum particularum indicent ſic ut boni textores phyſici haberi poſſint. Oſtendant quid accidat, quando concur-
runt

runt ſolæ portiones æthereæ, quid quãdo elementares, aut mixtorum corporum. Generoſa ingenia ſomnii, paſci non poſſent aut debent. Textor qui cujuſque filamenti colorem notabiliter percipere non poteſt, illud tamen ſigillatim conſiderat cogitque ad telæ exorſæ abſolutionem: ſed quis Lynceus aut Argus unquam conſpexit ex minimis inſenſibilibuſque particulis materiam corporum naturalium ſenſibilem coire, aut quis materiam ſenſibilem in minimas inſenſibileſque particulas diſſolvere potuit, aut diſſolvi vidit; quemadmodum in textrina quotidie animadverti poteſt. Ingenioſe hæc magis finguntur, quam cum ratione docentur. Intellectus veritatem non dictat inſtar dictatoris alicujus perpetui, ſed à rebus, quibus adæquatur quando verum cognoſcit, accipit ſibique mancipat. Vnius ingenii intellectuſque dictamen ſi ſufficeret, tot in triviis philoſophos inveniremus, quot inter homines cenſeri merentur, & præ belluis ratione pollent.

CAPVT VII.

Examinatur Cartesianorum sententia de caloris definitione.

TAlia quidem novę philoſophiæ principia quam lepide eodipi ſoboles ex iis hariolari ſoleat, uno aut altero exemplo ſpeciminis ergo curioſum lectorem doceamus. Initium facimus à calore, qualitate maxime activa; cujus naturam Medicus ex præceptoris placitis propriiſque principiis delineaturus, hac definitione in Theſibus phyſicis publice ventilatis utitur: *Calor eſt varia agitatio particularum inſenſibilium: frigus autem eſt earum quies.*

Sed ſi calor nihil aliud eſt quam varia inſenſibilium particularum agitatio, cur ceſpites, quorum in his oris uſus eſt, valide in minutiſſimas partes dimunuti (fieri hoc facile poteſt ſi ſicci ſint) æque conterentem non calefaciunt, ac quando accenſi ſunt. Etenim minutiſſimas particulas, ubi fricantur, agitari, & quidem celeriter, oculus oſtendit, ipſæ tamen particulæ, nihil, aut parum admodum

dum caloris, algenti largiuntur. Iterum: si calor non nisi insensibilium particularum agitatio, cur ignitum ferrum non tantum manum calefacit, sed sæpe etiam adurit, ignis portiunculas minimas poris ferri insistentes libenter movendo, quando ad ferrum contendunt; nullus tamen sanus eas moveri statuet quando in poris ut definita statione morantur: nisi forte particula ignis insensibilis insensibili poro inexistens in orbem celerrimo motu rapiatur. At quomodo hoc cognoscere potero? per quod aut Algebraicum, aut Geometricum aut Staticum sive postulatum, sive axioma, sive problema hoc docetur? Mastico aut galangam aut gingiberem & calore non tantum lingua integrumque os, sed ipsa quoque viscera æstuare incipiunt: paulo post corticem mali aut pyri dentibus validissime frangere instituo, & parum aut nihil caloris persentisco; nihilominus hæc familiarium arborum fragmina majore molimine cōminui, & in partes magis insensibiles redegi, quam aut gingiberis, aut galangę portiones. Vt credam calorem non nisi insensibilium partium motionem

esse ratio liquida differentię adferatur, ac aures arrigere incipiam. Piper quisquis dentibus permolere instituit calidum esse deprehendit, caloris tamen vestigium non deprehendetur, si sexcenti etiam tophi, aut alii, friabiles lapides eadem mola contundantur. Quæ ratio? an quia tophi non æque in partes insensibiles cōminui possunt? aut quia partes illæ minimæ non æque celeriter agitantur? utrumque accidere unūquemque experientia docet; quæ quia hic neminem fallere potest, certe credendum est calorem male à novæ philosophiæ alumno per insensibilium particularum agitationem descriptum esse. Etenim dato insensibilium particularum variæ agitationi quid circa caloris negotium deferendum esse, non tamen agitatio illa formaliter ipse calor erit, sed potius efficiens caloris caussa. Iutphasiana mola (quam Medicus aliquādo pro exēplo adducit) agitatione sua aëra frangit, non tamen aut ipse aër, aut illius fractio est. Tornator chalybeo instrumento atterit lignum, nec tantum atterit, sed etiam calefacit, ac nonnunquam accendit; nullus tamen attritum, aut calo-

calorem vocare potest, aut flammam, quæ à multis astantibus sæpe deprehenditur. Amplius quæro insensibiles particulæ agitatę, an sint ipsę calor, an vero caloris caussa efficiens. Si caussa efficiens, quorsum pro effectu ignaris obtruditur quod efficientis caussæ rationem habet: si vero sunt ipsę calor formaliter sic dictus, aut calor erit substantia; particulæ enim hæ minimæ corporearum substantiarum portiones sunt: aut particulæ insensibiles pro insensibili substantia insensibilem calorem communicatum habebunt, & consequenter sensibilis substantia sensibili calore instructa magis erit calor, potiusque per eam, quam insensibiles particulas calor definiendus. Si respondeant sensibiles partes non æque facile ac insensibiles agitari, aut agitationem illam pro caussa efficiente agnoscere debent, aut concedere calorem & agitationem insensibilium particularum formaliter ipsum calorem esse, sed hoc fieri non potest, quoniam ut probatum est, non omnis particularum talium agitatio calor est.

CAPUT VIII.

Excutitur Cartesii sententia de Magnete.

CAlorem excipit Magnes, quod naturæ mysterium non potest non tantorum somniorum architectis quam exploratissimum esse, vel Medico teste, qui in dictatis physicis ita de admiranda illius attractione philosophatur: *Inter lapides opacos admirandus est magnes, cujus operationes non fiunt per attractionem, sed circumpulsione corporum magneticorum vi exhalationis magneticæ è tellure versus septentrionem vel austrum exhalantis.* Fidem facile oraculum hoc inveniet in tribu Novaturientium: cantilenæ enim nuperæ & tripudia recenter inventa obsoletis plerumque jucundiora esse solent; ut enim haut inficete alicubi in Odyssea Homerus:

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι
Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.

Quis-

Quisquis tamen serius veritatis amator & assertor videri cupit, Helenam licet novo fuco & palla excultam, veritus Paridis fatum, suspectat. Initio dicitur magnes operationes suas non edere *per attractionem*; quod credendum, quia sic receditur à communi sententia, quæ ex Cartesianæ methodi præscripto horæ momento de statu suo præcipitari potest, frustra pro ea defendenda anhelantibus omnibus antiquæ philosophiæ cultoribus. Sed si magnes attrahendo operationes suas non exercet, cur ferrum suæ virtutis attractivæ facit particeps? Nisi forte reclamante omnium mortalium experientia & toto sophorum ratione dicendum sit neque ferrum accipere vim attrahendi, neque accipere posse, quoniam magnes à quo vim illam acciperet, non agit per attractionem. Sed quæro an nullæ res naturales, non electrum, non tot alia fossilia attrahendo agunt? Si agunt, ratio reddatur, cur non & magnes agat, quandoquidem in hoc eum referunt, quod agant per attractionem; quanquam nõ eodem modo attrahunt. Sin vero nec de illis veri studiosus crede-

credere debeat agere per attractionem, quod nihil per attractionem agere soleat, liquido ostendatur attractionem entium classe movendam esse. At quam melioris scilicet commatis, sententiam, post explosam attractionem de magnete naturæ epoptæ supponunt? Magnes dicunt, *admirandus est circumpulsione corporum magneticorum vi exhalationis magneticæ è tellure versus septentrionem vel austrum exhalantis.* Sibyllę folium, breve enim est ac probationem quærit. Audio quidem verba fieri de magneticis corporibus, sed quæ & qualia sint, non docetur, nisi forte ubicunque naturale corpus occurrit, magneticorum quoque corporum vestigia deprehendantur, & Democriti atomi magneticis profluviis seminibusque turgeant: Sed si circumpulsione magneticorum corporum magnes movetur, quorum circumpulsione ipsa magnetica corpora movebuntur; etenim aut se ipsa movebunt, aut aliis corporibus, à quibus moveantur, indigebunt, ut magnetica enim sirempse lege cum magnete censeri debent, æque ac aurei mani iisdem legibus, quibus aurum, quatenus hoc in iis invenitur, apud

pud omnes qui cor habent, gaudere solent. Illationis nostræ absurditatem spongiis delebimus simul ac Philosophantibus, definire placuerit quid aut corpus magneticum sit, aut quid magnetici in quoque corpore inveniatur, & ad qualium entium classem hoc referri debeat. Magnetismi malum in novis quibusque opinionibus invenio, sive enim per attractionem, sive circumpulsionem agant, multos ad se invitant, quorum ignorantiam scutica expiandam novi commenti velum palliat. Scilicet qui antiquam philosophiam in pariete nunquam pictam viderunt, ventis ac sacræ oblivioni eam consecrarunt, quia per occultam circumpulsionem aut circa Fluddi, aut Cartesii magnetem hærent, qui duum viri entia ejusdem secum simplicitatis ad se invitando, alarum remigio ad audacis loquentię, superbæque maledicentię sphæram facile sublevari possunt. Sed progrediamur in magneticorum horum corporū magnetem circumpellentium examine. Si non fallitur Apollinis fraterculus quædam exhalationis vis ea excitat, quæ prodit neque ex Averni ostio, neque Occa-

Oceani faucibus, ſed Telluris gremio. Vbi dioptra per quam exhalatio hæc aut aſcendere, aut deſcendere, aut circumcurſitare cum magneticis corporibus conſpicitur? excitatque eam aut Fluddi ſpiritus, aut mundi anima, aut ſol terram tepefaciens, aut ipſa tellus magnetum maxima, quæ magneticis ſuis fragminibus, omnia, ad quæ magnes ferri & inclinari poteſt, repleat & offuſcet. Non omnes ſub Carteſii ſidere nati ſunt: amplius quam verbo indigent, ut naturæ myſteria explorata habere poſſint. Davi, qui myſteria hæc nō intelligunt, quærent amplius quomodo terra cum tot continuis exhalationibus ſufficiat citra ſui diminutionem, aut cur non ubique in omnibus locis & angulis, cum inveniuntur in maximi magnetis magnetica corpuſcula per exhalationes eructata, etiā eædem magnetis operationes occurrāt, ne fatui quæſitores quæſtionibus ſuis axioma hoc Carteſianum enervare poſſent, muniēdum fuiſſet clara & ad omnia enodanda dubia ſufficiciente explicatione. Exiſtimabam me defunctū examine circa exhalationem, ſed earum præ cæteris conſtantia trepidare

dare animum nullius alias flagitii compertum compellit. Terra exhalationes exhalat tantum versus septentrionem & Austrum. Papæ! si similis esset tubicini, qui cum tara tantara oris sui halitum versus quascunque plagas eructare potest, mirari desinerem; sed cum cogito Tellurem brutam illam matrem esse quam Brutus exosculatus est, vix à me impetrare possum, ut credam eam tam stabili lege dirigere quæcunque sui profluvia. Docilem tamē me esse profiteor, & si quod mysterium hic aut Geometria aut Algebra Cartesii premat, lubens expendam ubi ab authore ex theca omnisapientię depromptum fuerit: quem rogo ut ex Statica sua me doceat, quot magneticorum corpusculorum per terræ exhalationes excitatorum uncię pyxidi nauticæ includi debeant, quo acus quæ in illa magnetis mysteria refert, ad polos mundi constanter converti queat, nisi forte tam subtilia hæc corpuscula sint, ut vitri ligni que poros quibus sæpe acus munitur, penetrare queant, & non minus copiose in medio Oceano, quam prope litora volitent.

CAPUT X.

Qam lepide Cartesiani de æstu maris philosophentur.

OMni ævo æstus maris magnum naturæ miraculum haberi consuevit, in cujus penetralibus lustrandis cum aliquatenus maxima ingenia processisse viderentur, extincta tandem ingenii lucerna redire, ac eruditam ignorantiam fateri debuerunt. Ille ipse tamen ut ut olim & hodie admirandus videri solet, planus & oppido quam perspicuus Cartesii sectatoribus est. Vnus modo Medicus audiatur, qui haut aliter ac si à quo Socratis dæmonio moneretur & omnia naturæ arcana disceret, in dictatis aperto capite hunc in modum philosophatur: *Quantum ad æstum maris attinet, hic oritur ex eo, quod cælum nostrum peculiare (clauso illo circulo quem luna singulis mensibus peramit) circumraptu suo circum terram & interfluxu inter terram & lunam ipsam terram ad aliquot pedes extra centrum sui cæli deturbat: hinc enim oriuntur duæ angustiæ in illo cælo sibi mutuo*

tuo diametraliter opposita, una inter lunam & terram, altera inter terram & illam peculiaris cæli extremitatis partem, versus quam ipsa terra ab interfluxu subtilis materiæ sive cæli fuit propulsa. Dum itaque torrens peculiaris nostri cæli istas angustias interfluit, aquas maris in istis portibus premit & versus littora attollit. Cum autem ob diurnum terræ motum illa pars maris, quæ lunæ erat obversa, à luna paulatim avertatur, sensim etiam cessat in illis partibus aëris & maris pressio, quo à littoribus versus altum relabentes refluxum maris efficiunt. Quam multa ut concessa hic non assumuntur, quæ neque Algebra, neque Statica, neque quæcunque Matheseos pars frustra ad pallianda physica commenta imperitis ostentari solita, unquam aut machinę alicujus aut operosi calculi subsidio probare poterit, ne quid dicamus de hypothesibus remotioribus quibus hæc haut secus ac columnis inconcussis incumbunt. Discant Novatores, & discant quidem ut didicisse prosit, non quascunque Mathematicorum speciatim vero Astronomorum hypotheses, rerum naturalium, quibus applicantur, veras realesque affectiones

nes esse. motum per tempus mensurabilem Astronomiæ consultus ostendit, eumque cum uniformem ac invariabilem esse deprehendat, mensurare, in partesque dividere satagit; sed cum nō possit nisi per certa præcognita, securus subjecti motus & magis adhuc motoris, fingit sibi quas hypotheses, quo earum subsidio motum, quem cum eo vulgus etiam animadvertit, citra errorem tum mensurare, tum dividere queat, unde accidit ut aliquando moveri cælum pronunciet, cum forte terra moveatur, aut neutrum, sed potius corpus quod in cælesti machina sese moveat. Vt vero primus hypothesium talium architectus nequaquā præsumpsit per hypotheses suas ipsam rerum naturam circūscribere, realesque corporum mobiliū affectiones declarare, ita nullus quoque ita insanire debet, ut quæ tantum hypothetice sunt proposita, velut absolute dicta amplectatur, rerumque naturas ex certis suppositionibus æstimare incipiat. Multa assumunt, supponunt, & sibi concedi cupiunt. Cartesii sectatores; quæ non invitus quisquis pertinaciam exuit, quoque dabit, modo ut postulata & hypotheses

pro-

proponere pergant, & non per ultroneã harum suppositionum cõcessionem naturas arcanas rerum naturalium magistrali supercilio definire præsumant. Si ea, quæ ut hypotheses assumuntur, non tantum affectiones rerum naturaliũ, sed earum etiam caussę sunt; probentur cum suis effectis necessariam connexionem colere & in ea influere. Non sufficit fingere certas hypotheses secundum quas cognoscantur, hæc aut illa rebus naturalibus certo invariabilique modo accidere: amplius probandũ est, ea, quæ tantum hypotheses sunt, forte à Cartesio aut alio ingenioso nugatore excogitatę, verarum & physicarũ caussarum rationem habere. Mensura veritatis physicę non est hujus illiusve phantasticum caput variarum suppositionum ferax, sed ipsa rerum natura. Si per hypotheses certas pro cujusque arbitrio excogitatas rerum naturę cognoscerentur, nę summus physicus indoctissimus Mahomethus esset, & quilibet calo, ut ut altus omnibus philosophis antiquis recentioribusque medium digitum ostendere posset; neque enim naturam

naturam adeo novercam experitur quin facile ex rebus maxime familiaribus & obviis certas hypotheses colligere possit, quas applicando dein ipsis rebus naturalibus, velut physicæ sapientiæ procaptuaria crepet, imo veras adæquatasque mysteriorum naturalium caussas esse imperitis persuadeat. Nec quicquam ad rem facit, quod ex hypothesibus illis mathematicę aut quasi mathematicę demonstrationes colligantur. Enimvero per Eccentricos orbes & Epicyclos certo demonstrari potest anomalus multiplexque planetarũ motus, quis tamen inde concludat reales aut in cælo orbes Eccentricos, aut Epicyclos esse? similiter damus per hypothesin Copernicanam de duplici terræ motu non infeliciter salvari posse quæcumque aut circa stellarum fixarum aut erraticarum motum contingunt, quis sanus tamen hac rationis specie moveatur ut contra Scripturam, cui ob Dei in ea loquentis authoritatem præ cæteris fides adhibenda est, terram moveri, corpora autem cælestia quiescere statuat? hypotheses circa res naturales excogitatæ, humani solum cerebri inventa, ne-

qua-

quaquam vero ipsæ rerum naturę sunt; earum specula pellucida esse deprehendantur, per accidens contigisse putandum est. Hæc si observentur, ultro evanescent, quæcunque operose à Medico de maris æstu ex præceptoris Cartesii principiis excogitata fuerunt: imo in furnum abibit tota philosophia, quam Herculeo conatu Cartesius cudere videtur. Vt liquet enim ex speciminibus, quæ de illa exhibuit; incumbit meris hypothesibus, non in ipsis rerum naturalium penetralibus inventis, (ea enim nunquam tenebrio lustravit) sed hiberna forte nocte dum febris molestias crearet in cerebro tornatis: quæ licet cum suis consectariis mathematica methodo à subdolo & fallere gnaro authore disponantur haut magis tamen mathematicis demõstrationibus physicam ultimo hoc sæculo beavit, quam si quis Mahometi ineptias eodem ordine colligere, & velut nova in philosophia oracula incredulis propinare præsumat. Si candidus ac docilis Dn. Renatus sit, ex me hac occasione sine minervali discat, ut aliquid suo ingenio, quod non nemo æstimare videtur, aliquando dignum

num præstare queat; Intellectum non hujus illiusve hominis speculationibus intellectualibus indulgentis mensuram veritatis intellectivæ esse, sed ipsas omnino res, neque enim res aut intellectui aut speculationibus intellectualibus, sed ipse intellectus rebus conformari debet; quod nunquam fiet, si liceat intellectui non consultis ante rebus principia quædam excogitare & ea dein ipsis rebus applicare: Ita enim homo equus, lapisve, aut noctua, aut quid absurdius fieri posset, modo placeret intellectui domino imperioso ad similem conclusionem colligendam ex suis principiis progredi.

CAPUT X.

Ratio redditur cur non plura novæ physicæ Cartesianæ dogmata excutiantur.

POssem longe plura speciminis loco ex nova ineptientium physica proponere, sed quem juvet aut Augię stabulum expurgare, aut naribus tetrum pestilentemque illius odorem sublegere. Propositũ nobis tantum fuit novę philosophiæ Methodum detegere, quo quisque

que suo Marte omnia ejus deliria convellere possit. Quemadmodum infaustus Socininus magnus Rabbinus illi videtur, qui nescit eum in Lexico Hebraicō Forsmeri, Ebraicum quod vocabulū in textu opposito occurrens quærere consuevisse, inventisque variis ejus significationibus quam ut instituto suo inservientem elegisse ac Spiritui sancto in antecedentibus & consequentibus per omnia significationem talem respuenti, affinxisse. Ita & Renatus Cartesius (mathesin ejus excipio, qua longè melius & felicius uti posset) maximus physicus, arcanorumque naturæ naturalisque theologiæ consultissimus illi videtur, qui exploratam non habet methodum, secundum quam non tantum philosophari, sed universo orbi (nedum qui in illo vivunt eruditis) imponere laborat. Acamatius Heliopolita populares suos decepit ab iisque philosophi titulum impetravit, quod vulgo humanior ac politior esset; homo vero hic non contentus philosophi titulo, aut universalis Doctoris elogium, aut perpetui in cujusque notæ eruditos dictatorium imperium affectat, quia aliquid in Mathesi

ſententiæ, fallacia Evæ Vliegenæ in Comitatu Meurſenſi anno 1628. detecta, luculentum præbet teſtimonium. Quaſi vero propterea omnes hiſtorię ſint mendaces, quæ de variis hominibus teſtantur, quod multos per annos inediam pertulerint, quia Eva Vliegena puella Meurſenſis fumos orbi vendidit. Hiſtorias quas per Evam Vliegenam fide exuere Medicus laborat, quiſquis diligenter excuſſas videre optat, conſulat eximium opus Fortunii Liceti; *his qui diu vivunt ſine alimento*, & alterum; *de feriis altricis animæ*. Similium argumentorum plauſtra ex Medici Theſibus dictatiſque, nec non ipſius Carteſii ſcriptis, ſi animo lubitum eſſet onerare poſſem: ſed religio eſt innoxias chartas nugarum locis cõmunibus deſtinare. Securis Brutorum Carteſii fulminum futuri ſunt, quotquot exploratam habent Methodum ſecundum quam à Salmonei fraterculo jactari ſolent: quem moneo in tempore, ne propediem per intolerandam jactantiã publicum orbis ludibrium fiat, ut diligenter expendat quid ſodali ſuo Ioanni Phrygi evenerit, de quo ex re eſt conſulere Syneſii epiſtolam 104. Vt vero amplius

amplius cognoſcas, Lector, quam periculoſæ aleæ plena ſit nova philoſophandi Methodus unam adhuc Sectionem ſubjicio.

SECTIO QUARTA.

CAPUT I.

Carteſii nova philoſophandi Methodus ad Scepticiſmum viam ſternit,

DE Archaſio quo refertur, quod tam fortis ejus imaginatio eſſet, ut eâ uniuſcujuſque eruditi ac prudentis hominis ſcientiam atque prudentiam attraheret. Enimvero ſi tanta efficacia imaginationibus ac Meditationibus ex Carteſii methodo inſtitutis ineſſet, author eſſem omnibus qui in Scholis & Academiis à præceptoribus informantur, ut curriculo ad illius delubrum properarent, dictum factum enim in illo ſine impenſis & libris eos theſauros conſequerentur, quos vix pauci poſt aſſiduos difficileſque multorum annorum labores inveniunt. Sed ſecus ſe res haber, Alumni novę philoſophiæ pro ſperatis

nes esse. motum per tempus mensurabilem Astronomiæ consultus ostendit, eumque cum uniformem ac invariabilem esse deprehendat, mensurare, in partesque dividere satagit; sed cum nõ possit nisi per certa præcognita, securus subjecti motus & magis adhuc motoris, fingit sibi quas hypotheses, quo earum subsidio motum, quem cum eo vulgus etiam animadvertit, citra errorem tum mensurare, tum dividere queat, unde accidit ut aliquando moveri cælum pronunciet, cum forte terra moveatur, aut neutrum, sed potius corpus quod in cælesti machina sese moveat. Vt vero primus hypothesium talium architectus nequaquã præsumpsit per hypotheses suas ipsam rerum naturam circũscribere, realesque corporum mobiliũ affectiones declarare, ita nullus quoque ita insanire debet, ut quæ tantum hypothetice sunt proposita, velut absolute dicta amplectatur, rerumque naturas ex certis suppositionibus æstimare incipiat. Multa assumunt, supponunt, & sibi concedi cupiunt. Cartesii sectatores; quæ non invitus quisquis pertinaciam exuit, quoque dabit, modo ut postulata & hypotheses

pro-

proponere pergant, & non per ultroneã harum ſuppoſitionum cõceſſionem naturas arcanas rerum naturalium magiſtrali ſupercilio definire præſumant. Si ea, quæ ut hypotheſes aſſumuntur, non tantum affectiones rerum naturaliũ, ſed earum etiam cauſſę ſunt; probentur cum ſuis effectis neceſſariam connexionem colere & in ea influere. Non ſufficit fingere certas hypotheſes ſecundum quas cognoſcantur, hæc aut illa rebus naturalibus certo invariabilique modo accidere: amplius probandũ eſt, ea, quæ tantum hypotheſes ſunt, forte à Carteſio aut alio ingenioſo nugatore excogitatę, verarum & phyſicarũ cauſſarum rationem habere. Menſura veritatis phyſicę non eſt hujus illiuſve phantaſticum caput variarum ſuppoſitionum ferax, ſed ipſa rerum natura. Si per hypotheſes certas pro cujuſque arbitrio excogitatas rerum naturę cognoſcerentur, nę ſummus phyſicus indoctiſſimus Mahomethus eſſet, & quilibet calo, ut ut altus omnibus philoſophis antiquis recentioribuſque medium digitum oſtendere poſſet; neque enim naturam

naturam adeo novercam experitur quin facile ex rebus maxime familiaribus & obviis certas hypotheses colligere possit, quas applicando dein ipsis rebus naturalibus, velut physicæ sapientiæ procaptuaria crepet, imo veras adæquatasque mysteriorum naturalium caussas esse imperitis persuadeat. Nec quicquam ad rem facit, quod ex hypothesibus illis mathematicę aut quasi mathematicę demonstrationes colligantur. Enimvero per Eccentricos orbes & Epicyclos certo demonstrari potest anomalus multiplexque planetarũ motus, quis tamen inde concludat reales aut in cælo orbes Eccentricos, aut Epicyclos esse? similiter damus per hypothesin Copernicanam de duplici terræ motu non infeliciter salvari posse quæcumque aut circa stellarum fixarum aut erraticarum motum contingunt, quis sanus tamen hac rationis specie moveatur ut contra Scripturam, cui ob Dei in ea loquentis authoritatem præ cæteris fides adhibenda est, terram moveri, corpora autem cælestia quiescere statuat? hypotheses circa res naturales excogitatæ, humani solum cerebri inventa, ne-

qua-

quaquam vero ipsæ rerum naturę sunt; earum specula pellucida esse deprehendantur, per accidens contigisse putandum est. Hæc si observentur, ultro evanescent, quæcunque operose à Medico de maris æstu ex præceptoris Cartesij principiis excogitata fuerunt: imo in fumum abibit tota philosophia, quam Herculeo conatu Cartesius cudere videtur. Vt liquet enim ex speciminibus, quæ de illa exhibuit; incumbit meris hypothesibus, non in ipsis rerum naturalium penetralibus inventis, (ea enim nunquam tenebrio lustravit) sed hiberna forte nocte dum febris molestias crearet in cerebro tornatis: quæ licet cum suis consectariis mathematica methodo à subdolo & fallere gnaro authore disponantur haut magis tamen mathematicis demõstrationibus physicam ultimo hoc sæculo beavit, quam si quis Mahometi ineptias eodem ordine colligere, & velut nova in philosophia oracula incredulis propinare præsumat. Si candidus ac docilis Dn. Renatus sit, ex me hac occasione sine minervali discat, ut aliquid suo ingenio, quod non nemo æstimare videtur, aliquando dignum

num præstare queat; Intellectum non hujus illiusve hominis speculationibus intellectualibus indulgentis mensuram veritatis intellectivæ esse, sed ipsas omnino res, neque enim res aut intellectui aut speculationibus intellectualibus, sed ipse intellectus rebus conformari debet; quod nunquam fiet, si liceat intellectui non consultis ante rebus principia quædam excogitare & ea dein ipsis rebus applicare: Ita enim homo equus, lapisve, aut noctua, aut quid absurdius fieri posset, modo placeret intellectui domino imperioso ad similem conclusionem colligendam ex suis principiis progredi.

CAPUT X.

Ratio redditur cur non plura novæ physicæ Cartesianæ dogmata excutiantur.

POssem longe plura speciminis loco ex nova ineptientium physica proponere, sed quem juvet aut Augię stabulum expurgare, aut naribus tetrum pestilentemque illius odorem sublegere. Propositũ nobis tantum fuit novę philosophiæ Methodum detegere, quo quisque

que ſuo Marte omnia ejus deliria convellere poſſit. Quemadmodum infauſtus Socininus magnus Rabbinus illi videtur, qui neſcit eum in Lexico Hebraicò Forſmeri, Ebraicum quod vocabulũ in textu oppoſito occurrens quærere conſueviſſe, inventiſque variis ejus ſignificationibus quam ut inſtituto ſuo inſervientem elegiſſe ac Spiritui ſancto in antecedentibus & conſequentibus per omnia ſignificationem talem reſpuenti, affinxiſſe. Ita & Renatus Carteſius (matheſin ejus excipio, qua longè melius & felicius uti poſſet) maximus phyſicus, arcanorum que naturæ naturaliſque theologiæ conſultiſſimus illi videtur, qui exploratam non habet methodum, ſecundum quam non tantum philoſophari, ſed univerſo orbi (nedum qui in illo vivunt eruditis) imponere laborat. Acamatius Heliopolita populares ſuos decepit ab iiſque philoſophi titulum impetravit, quod vulgo humanior ac politior eſſet; homo vero hic non contentus philoſophi titulo, aut univerſalis Doctoris elogium, aut perpetui in cujuſque notæ eruditos dictatorium imperium affectat, quia aliquid in Matheſi

 præ-

præstitit, philosophari que imperitis videtur, quos solos rejectis omnibus Academiis & in ea docentibus subdole admodum novarum suarum speculationum judices sedere cupit: nec sibi tantum cupit, sed easdem prærogativas omnibus quoque sectatoribus suis serio deferri jubet. Contra quos ut quisque instructissimus esse possit, notet solum ea, quæ breviter superiori sectione à nobis dicta fuerunt, per omnia enim eadem via ad sceptrum σοφίας grassari contendunt, qua feliciter jam contendisse ad Dictatorium fastigium Renatus videtur. Propediem vero iis tota eruditorum natio assurgeret, si aut particulare exemplum sæpe male applicatum novum & quidem κατὰ παντὸς verum effatum progeneraret, aut ea dogmata velut Apollinis responsa adoranda essent, quæ similitudine qua illustrari possunt. Remove enim Magistrale dictamen quod in omnibus tum Cartesii, tũ Medici commentis utramque paginam facit, & preter similitudines, frigidaque exempla particularia, ut ante quoque annotatum fuit, nihil invenies quod vice rationum ad confirmanda parado-

ra oracula adferatur. Sed quem ex gente naso & corde instructa talia commoveant? Particulare enim exemplum si aut axioma universale affirmatum probare aut evertere posset, securi perpetuo ferulæ & virgę in Scholis pueri essent: Orbilium enim nequaquam metuerent si aut dicerent nomina omnia in A, primę declinationis esse Masculini generis, quod poëta sit dignioris sexus: aut omnia verba passivo destituis, quod passivum nullum verbum Sto agnoscat: ἀκοντὶ quoque Iudęi vincerent; dicere enim, imo probare possent, benedictum nostrum Salvatorem (absit dicto blasphemia) falsum Messiam fuisse, quod impostor fuerit Simon Magus, cum Magnus verusq; Messias à sectatoribus suis agnosci cuperet. Nolo consulto novę Philosophię alumnis ullam injuriam facere: Ipse, Lector, expende an non æq; ridiculum Medicus se præbeat in editis etiam Thesibus ac publice in Academia Vltrajectina excussis: ita enim loquitur disput. Med: secunda pag. 17. *Cum hæc restauratio sit continua, & sine intermissione fiat: falsum itaque est aliquos, per multos annos, sine alimento vixisse: cui*

 senten-

sententiæ, fallacia Evæ Vliegenæ in Comitatu Meursensi anno 1628. *detecta, luculentum præbet testimonium.* Quasi vero propterea omnes historię sint mendaces, quæ de variis hominibus testantur, quod multos per annos inediam pertulerint, quia Eva Vliegena puella Meursensis fumos orbi vendidit. Historias quas per Evam Vliegenam fide exuere Medicus laborat, quisquis diligenter excussas videre optat, consulat eximium opus Fortunii Liceti; *his qui diu vivunt sine alimento,* & alterum; *de feriis altricis animæ.* Similium argumentorum plaustra ex Medici Thesibus dictatisque, nec non ipsius Cartesii scriptis, si animo lubitum esset onerare possem: sed religio est innoxias chartas nugarum locis cōmunibus destinare. Securis Brutorum Cartesii fulminum futuri sunt, quotquot exploratam habent Methodum secundum quam à Salmonei fraterculo jactari solent: quem moneo in tempore, ne propediem per intolerandam jactantiā publicum orbis ludibrium fiat, ut diligenter expendat quid sodali suo Ioanni Phrygi evenerit, de quo ex re est consulere Synesii epistolam 104. Vt vero amplius

amplius cognoſcas, Lector, quam periculoſæ aleæ plena ſit nova philoſophandi Methodus unam adhuc Sectionem ſubjicio.

SECTIO QUARTA.

CAPUT I.

Carteſii nova philoſophandi Methodus ad Scepticiſmum viam ſternit,

DE Archaſio quo refertur, quod tam fortis ejus imaginatio eſſet, ut eâ uniuſcujuſque eruditi ac prudentis hominis ſcientiam atque prudentiam attraheret. Enimvero ſi tanta efficacia imaginationibus ac Meditationibus ex Carteſii methodo inſtitutis ineſſet, author eſſem omnibus qui in Scholis & Academiis à præceptoribus informantur, ut curriculo ad illius delubrum properarent, dictum factum enim in illo ſine impenſis & libris eos theſauros conſequerentur, quos vix pauci poſt aſſiduos difficileſque multorum annorum labores inveniunt. Sed ſecus ſe res habet, Alumni novę philoſophiæ pro ſperatis the-

thesauris, in atros inutilesque carbones incidunt, ac à Pansophiæ doctore non ad sacrarium Sophiæ, sed Ignorantiæ, si non Moriæ, deducuntur. Vt hinc enim incipiamus; quanquam Cartesius videri vult ἀσπονδοντόλεμον Scepticorum filiis indixisse, methodus tamen Philosophandi ipsi peculiaris, non per ambages, sed recta, ad Scepticismum ac Pyrrhoniorum deliria ducit: imo ipse, ut ut dissimulet in Scepticorum statione hæret, non quidem eorum, qui ex Academia aut Pyrrhonis schola progressi fuerunt, sed Semi-Scepticorum, sive eorũ, qui vocari possunt Sceptici per consequentiam, quorum hic mos potissimum esse solet; in speciem contra primæ notæ Scepticos denotare, certissimam evidentissimamque variarum rerum scientiam jactare, ac denique nova veri κριτήρια circumferre, talia scil., quæ nulli scientię ab aliquo homine, quisquis etiam sit, per subsidiũm naturę applicari possint. Ejus commatis morosophos citra ullam injuriam Semi-Scepticis accenseri posse vel hinc manifestissimum; Quod ęque grande piaculum sit omnem scientiam de mundo tollere, ac talem

aut

aut jactare, aut ab iis, qui eruditis accensentur, efflagitare, quæ in nullum hominem cadere potest. Quemadmodum enim per certissimam consequentiam omnis fortitudinis gloria ab illo, hominibus eripitur, qui nullum fortem existimat, nisi qui cum instructo efferatorum leonum agmine congredi ausit; ita scientię lucerna in omnibus ab illo æque extinguitur, qui eam post lapsum tam clare in cunctis mortalibus lucere vult, ac ante lapsum in Adamo fulsit, aut quatenus hodie adhuc in angelis radiat. Candide ago, hominemque agnosci cupio ex iis, quæ ipse proponit in Methodo Gallica pag. 20. ubi hunc in modum loquitur: *Primum* (quod mihi serio philosophaturo præceptum proposui) *hoc erat, nullam unquam rem ut veram amplecti, quam non scirem quam evidenter talem esse: hoc est, sollicite evitando præcipitantiam & præventionem, nihil amplius judicio meo amplecti, quam quod adeo dilucide ac distincte se intellectui meo offerret, ut nullam amplius dubitandi de eo occasionem haberem.* Quibus verbis, oppido quam evidentibus & dilucidis novæ Philosophię dictator fatetur, se

nihil ut verum velle amplecti, nisi circa quod nulla dubitandi occasio oboriri possit. Sed dum hoc docet, aperte sibi ipsi larvam detrahit, omnesque, qui corde non carent, docet se in statione Semi-scepticorum, de quibus loquuti fuimus, hærere. Quid enim adeo evidenter ut verum cognoscitur, circa quod aliquando animus non posset fluctuare, aut saltem dubitandi occasionem offendere? Provoco ad ipsam Cartesii conscientiã, (modo, quod abominor, cauterium illam non adusserit) an non volens nolẽs fateri cogatur, ea, quæ ut aperte vera in solis rebus naturalibus scire videtur, in dubium vocari posse, si aut experimenta contra veritatem illam militantia (quod facile fieri potest) ab aliquo libro naturę vacante depromantur, aut à quo in philosophicis sacris exercitatissimo tales rationes adferantur, quæ pertinacissimũ quem opinionis suæ patronum turbare possent. Si existimet nullas hastas à tam valida dextra amentari posse, ut iis lædatur, aperte nimis & ante diem ingenium suum prodit. Nulla veritas (ne quidem ea, quæ ab ipso Deo infallibili veritatis Doctore in ipsa Scriptura docetur

cetur) tam certo ullius hominis animo alligatur, ut non poſſit ſæpiſſime ejus poſſeſſori occaſio, etiam præter exſpectationem, oboriri de ea dubitandi, & quidem cum gravi periculo. Quis non credat Spiritus Sancti diſcipulos Iobū, Aſaphum, & Ieremiam certiſſimos veritatis hujus fuiſſe; Dei providentiæ omnia eſſe ſubjecta, nihilque, ne minutiſſimum quidem, præter voluntatem ejus accidere: turbati tamen fuerunt, & ſerio apud ſe diſputare inceperunt, an quæ Dei providentia eſſet, cum viderent contra carnis prudentiam, bonis in hoc mundo omnia ut plurimum male, malis vero plerumque cuncta bene ſuccedere. Sciendi principia natura non tam nota, quam omnium mortalium mentibus inſculpta ab ingenioſiſſimis etiam ſæpe tacite in dubium vocantur, ſi aut experimentum quod illis adverſari videatur, aut, ut ſæpe accidit, delirum aliquod caput, Carteſio forte non diſſimile, commenta ſua in ſpeciem probabilia contra illud adferat & velut in acie diſponat. Immota ſciendi principia nullis machinis, ne quidem Carteſianis everti poſſunt, & tamen variarum obje-

ctionum fuligine ac nebulis ita obscurari, ut doctissimi etiam & à prurigine novaturiendi alienissimi circa illa turbentur, sed periculose quoque, ut quotidiana experientia docet, animo fluctuēt. Vnus Cartesius, si præ omnibus, quotquot vixerunt, hominibus, prærogativa gaudere debeat, feremus, nec quod invidi facere solent, privilegii bullam ac sigillum exhiberi nobis jubebimus. Interim tamen dum hanc ad sapientiam viam, in gratiam sectatorum quoque, quos sperando exspectat, complanare laborat, aperte totum orbem docet se professione Semi-Scepticum esse, & ad deliriorum semi-Pyrrhoniorum ἀω-τοψίαν invitari, quotquot oculos claudere volunt, & in errorum vertiginumque præcipitium ruere. Nec sic tantum semi-scepticus Renatus alios ad Σκέψιν & Pyrrhonia sacra manuducere laborat, sed manifestius ac periculoso magis conatu idem agit, quando in Meditationibus sectatores suos de omnibus rebus, omnigenisque veritatibus dubitare docet. Ad rem vero non facit, quod in Responsionibus quintis pag. 410. dicit: *Novit philosophus sæpe falsa pro veris utiliter*

biliter sic assumi ad veritatem illustrandam. Quanquam enim libenter damus philosopho licere aliquando ex falsis hypothesibus in veritatis gratiam, quam unam intendit, progredi, nullam interim aut injuriam Deo facit, aut quo præjudicio ea, quæ indubitatæ veritatis sunt, gravare laborat. Deum, à quo omnis falsitas remotissima est, quis citra flagitium meditando, ut fit à Cartesio Meditatione prima, *deceptorem* fingere potest? Quod Apostolus 1 Cor. 15. Ex Menandro docet, mores nempe bonos *prava colloquia* corrumpere, verissimum est: mentis autem intrinsecum colloquium meditatio est, quæ ubi sana non est, etiamsi animi integritatem lædere non affectet, eam tamen collutulat, & nescio quid latentis vitii affricat. Multo minus apologia proposita in sequentibus verbis, occurrentibus in Epistola ad Dinetum pag. 158. authori prodesse potest: *Scripsi initio meæ responsionis ad tertias Objectiones, Nempe nullas dubitandi rationes fuisse à me propositas, eo fine ut ipsas persuaderem, sed contra ut refutarem: eodem plane modo quo Medicinæ scriptores morbos describunt, quorum curandorum*

Methodum volunt docere. Sed author, cui familiare est infeliciter ex loco similium argutari, meminisse debuisset dubia non à se methodice proponi, quo solide & dilucide refutari ac cujusque animo eximi possint; sed suo exemplo quemque ex sectatoribus monere & hortari, ut per dubiorum vortices, lubricamque ac fragilem glaciem, ad scientiæ arcem enitatur. Quotusquisque autem hoc facere potest? Per lutosam & paludosam viam si agmen meare debeat, non tantum multi ex militibus calceis mulctantur, sed varii quoque ad talos usque cæno immersi, hostibus præda fiunt. Haud uno loco author fatetur, methodum suam non nisi *solidioribus ingeniis* convenire. Quot autem homines inveniri existimamus qui tuto in omnium dubiorum gurgites se præcipitare possint, & postea secure ex iis emergere? De Sebastiano Franckio Enthusiastarum patre vir Dei Lutherus dicere solet, eum omnium olera perreptasse, ac postea in proprio sterquilinio suffocatum fuisse. Quam vereor ne multi in hoc Cartesianarum dubitationum fimeto & sinuoso fluctuationum Laberyntho, si Magistrũ

ducem

ducem ſequi velint, ſuffocentur, & ante inter Orci cancros irretiti hæreāt, quam ſe illaqueatos eſſe animadvertant. Vulcani catenę, quibus Martem Veneremque illaqueavit, non æque ſubtiles ſunt, ac quibus quis à veritatis ſtatione per Scepticiſmum ad Atheiſmi præcipitium trahitur. Ne quis vero exiſtimet hac altera tantum arte, quos dementavit, ex Dogmaticis in Scepticos Carteſium transformare laborare; ſed in propatulo amplius Scepticiſmum eos docet, quando ſenſuum judicium in dubium vocare docet. Ne enim ad ſuffragium vocemus ipſas Meditationes, in quibus velut in ſpeculo oſtenditur, quomodo quis Academicorum & Pyrrhoniorum exemplo ſenſus certitudinem, (quæ ſi debita κριτήρια obſerventur, facile à quibuſcunque fallaciis vindicari poteſt) infirmare debeat; amplius in Reſpōſionibus ſextis pag. 486. Edit. Elz. ubi mentem ſuam explanat, ſenſuum judicia docet ſimilia eſſe iis judiciis. *quæ à primis infantia, & abſque ulla conſideratione formavimus*; quæ ipſiſſima Scepticorum ſententia fuit, ut prolixius docuimus Diſputatione ſecunda contra Scepticos.

Inju-

Injuriam homini facere non intendo; Dogmaticisque eum accensere quidem velim, si fieri posset; interim idem de eo ego judicare cogor quod de Socrate, (dignus opinor Atheniensis senex est, ut cum dæmonio hominis Cartesio componatur) quem quamvis Cicero Tullius lib. 2. Acad. Q. Dogmaticis accenseat; eodem tamen teste lib. 1. Acad. Quæst. proclamare publice privatimque solet, *nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri, angustos sensus, imbecillos animos, brevia curricula vitæ, opinionibus & insomniis omnia teneri, nihil veritati relinqui, & omnia tenebris circumfusa esse.* Non volo quidem Renatum nostrum in propatulo Scepticum esse, in recessu talem esse sufficit. Audacter autem hoc dico, nec tantum dico, verum etiam sufficienter, ut existimo probo: si possit, se expediat, in meam sententiam non tantum discedent; quibus placuerit caput hoc legere, sed etiam omnes, qui judicio haut oscitante expendent ea, quæ aut à Flavio nostro in sex Meditationibus, aut in libro Gallico, qui inscribitur *La Methode*, docentur.

CA-

CAPVT II.

Eadem Methodus recta ad Enthusiasmum ducit.

SCepticismum & Semi-scepticismum Enthusiasmus excipit, cujus consortem non dico quidem Cartesium esse, sed ad eum ducem esse philosophiam, quam profitetur. Nihil homini affingere cupio. Docet ergo sectatores suos in Respons. ad Objectiones secundas pag. 181. & seq. vetera non tantum omnia abdicare, sed & advertere quam debiles sint rationes ob quas sensibus suis hactenus crediderunt, & quam incerta sint omnia judicia, quæ illis superstruxerunt: deinde considerare mentem propriam, cunctaque ejus attributa, nec non sedulo examinare propositiones per se notas, & ita per examen idearum, sedulamque entis summe perfecti contemplationem accedere ad veram intelligentiã eorum axiomatum, quæ ipse omnium mentibus, ut indubitata, insculpta esse sine teste & ratione pronunciat. Periculosę vero aleæ plenissima hæc methodus

dus eſt. Mens enim ſive intellectus ob caligantes, quos habet oculos, ſenſibus externis ut ducibus, haut aliter indiget ac cœcus ſuo ductore: ipſa axiomata ſolis radiis clariora, ut indubitata non amplectitur, niſi ſenſuum miniſterio eorum inſtituerit examen illorumque certitudinem in praxi manibus quaſi palpaverit. Sic verbi cauſa tum demum certe ac citra ullam hæſitantiam totum quaque ſui parte majus eſſe credit, quãdo ſenſuum ſubſidio axiomatis ejus certitudinem tum oculis contemplatur, tum manibus tractat. Quando primo enim à ſenſibus abducitur ad contemplationem eorum axiomatum, quæ ei inſculpta videntur, exuitur amuſſi ac norma ſua, ſibique relicta facile axioma quod fingere poteſt, quod ſi normæ exhibeatur, poſtea falſum ac ſubleſtæ fidei deprehendatur: quoniam nihilominus, vero prærogativa ei defertur, (quaſi ejuſmodi judice cum regula non indigeret) pertinaciæ callo obducitur. audetque ſe munire per axiomata contemplando adinventa contra quaſcunque rationes & apertiſſimam etiam veritatem. Quod αὐτοδιδάκτοις accidere ſolet,

qui

qui opinionum Helenas, à se inventas, præ amore comprimendo enecare quã derelinquere malunt, contemplantibus talibus accidit: axiomata quæ mens abstracta ab omnibus sensibus dictare videtur, haut aliter retinent ac proximam pilam claudi. Quam facile vero erroneum quod axioma, inimicum pietati, adversarium scripturæ, menti sibi relictæ & judice suo carenti obrepere potest? Antiqui & recentiores Enthusiastæ, præ cæteris David Georgii, Thomas Muncerus, Henricus Nicolai, & Sebastianus Franckius contemplationibus ejusmodi vacantes, Scripturam contemnere inceperunt, & vice divinorum oraculorum ea obtrudere quæ mens dictabat. Fateor quidem, hos inter Enthusiastas antesignanos, pro mente jactasse internum hominem, Spiritum, Deum loquentem, somnia, & quæ alia fanaticorum hominum mystica vocabula esse solent, sed unius rei, mentis nempe variæ tantum denominationes fuerunt. Quæ dictabat iis ratio, circa axiomata judice destituta fabricanda occupata, amplexi fuerunt, & ut supra rationem esse viderentur, spiritus, aut

verbi

verbi interni, titulo, incrustarunt. Oppido vereor ne diabolus, qui abstractivis magistris & superbis meditantibus quam vicinus esse solet, Cartesianis similiter imponat, doceatque mentem, quæ natura non intelligit ea quæ Dei sunt, adorare. κρυπτὰ τῆς ἐυσχύνης necdum detecta sunt: dies aliquando plene ea revelabit. Deinde, quis periculum ab Enthusiasmo manifestarium non videat, quando author vult pag. 182. jam laudata, mentem sic abstractam, *diu, multumque in natura Entis summe perfecti contemplanda immorari, quo absque ullo discursu cognoscat Deum existere.* Enimvero mens profunde meditationi immersa, Deique existentiam in se absque ullo discursu, hoc expresse enim Renatus vult, inveniens, Deum sibi inexistentem aut immediate, aut mediante idea (quemadmodum Meditationum author docere videtur) invenire debet, quam facile vero sic ad profanissimum Enthusiasmum ei aditus datur. Deum sibi inexistentem Cartesianus quis deprehendit per ideam, cur non ergo instar Enthusiastæ sic etiam concludat: Deus in me est, & ego in Deo, ergo per Deum

inex-

inexistentem omnia ago & consequenter neque pecco neque peccare possum, quia per Deum inexistentem omnia ago, non dico hæc consectaria in ipsis Cartesianis Meditationibus inveniri, aut proxime procedere ex iis, quæ ab illo in editis scriptis, velut axiomata proponuntur: sed periculum tantum indicare volo, cui se exponunt omnes quotquot ex novæ methodi præscripto progredi intendunt. Non tantum Enthusiastarū impurissimus Sebastianus Franckius pro symbolo Ovidianum illud adoptavit:

Est Deus in nobis agitante calescimus illo,

ejusque socius Henricus Nicolai, teste Theodoro Coornhertio ejusdem commatis impostore ad has extremas furoris Enthusiastici lineas accessit, ut illoto blasphemoq; ore diceret: *Ego sum Deus*: verum etiam ex ordine practico-Meditantium teste Ruysbroeckio in Apologia sua cap. 2. eo usque meditando quidam accesserunt, ut affirmarent, *se nullum habere Deum, sed usque adeo se sibi esse mortuos ac Deo unitos, ut ipsimet Deus effecti*

effecti sint. Etenim per speculativas Cartesii meditationes longe facilius quis ad harum blasphemiarum catadupa abripi potest, quam per practico-speculativas Monachorum. Mitto quod Renatus vult, mentem abstractam *diu multumque in natura Entis summi perfecti contemplanda immorari*: sed quomodo noctuæ oculi solem adeo purum ac defæcatum intueri poterunt? Vult mentem intueri Deum ut *ens summe perfectum*, ergo ut ens simplicissimum, infinitum, æternum, omnipotens; sed experientia vel in solis Vorstianis & Socinianis docet, eos, qui volunt mente quâ mente sive secundum rationis humanæ regulam contemplari supremi entis perfectionem, maximam imperfectionem ei affingere. Quoniam enim mens præ angustia capax non est summæ perfectionis, eam, pro suo modulo ordinat dirigitque Deum cogitando imperfecte simplicem, infinitum, æternum ac omnipotentem. Si vir ille, de quo alibi in Physicis Melanthon loquitur, in absurdissimas de rebus naturalibus, maxime iride, opiniones incidit, quod de iis ex unius mentis dictamine philosophari

præ-

præsumeret, quid non homuncioni circa Deum accidet, si eum ut ens summe perfectum contemplari instituat.

CAPVT III.

Atheismi muros dum subvertere Cartesius laborat, fulcit ac ædificat.

DE Crasso alicubi Plutarchus memoriæ mandavit, quod cum bipedum avarissimus esset, avaritiam tamen in omnibus quam maxime insectari ac redarguere soleret. Simile quid, non sine gravibus causis de Cartesio suspiceris; dum enim videri vult Atheismo quam maxime infestus esse, eum docere & propagare laborat. Præ ignorantia si faciat, commiseratione dignum esse judico, præ malitia vero si peccet, rogo eos, qui Atheismum proserpentem sistere ac sufflaminare debent, ut ad hominis conatus attendant, seduloque in ejus molimina Philosophicarum dissertationum velo palliata inquirant. Etenim si verba semper virtutem arguerent, iisque tuto fides adhiberi deberet, ab Atheismi levissima etiam suspicione homo

homo noster alienissimus esset: ut alia enim multa loca passim in sex Meditationibus occurrentia omittamus, in ipsa Dedicatoria epistola ad Sorbonam Parisiensem evidenter ac audacter satis ostendit se Atheismi suspicione nequaquã laborare velle. Quid volunt enim sequentia verba, quibus gloriatur de invicto argumentorum contra Atheos adductorum robore: *Addam* (rationes meas) *tales esse, ut non putem ullam viam humano ingenio patere, per quam meliores inveniri unquam poßint: cogit enim me caussæ neceßitas, & gloria Dei, ad quam totum hoc refertur, ut hic aliquanto de meis liberius loquar, quam mea fert consuetudo.* Sed tam speciosis λόγοις, nequaquam iis, quibus Atticus nasus, & sensus in detegendis his mysteriis exercitati sunt, satisfieri potest. Similibus verborum ampullis Atheismi suspicionem à se averruncare laborabat Cæsar Vaninius, & tamen publice Tolosæ est combustus non tantum quod Atheus esset, sed Atheismi Apostolus. Cartesius femur ferire non debet, quod cum Vaninio cõponatur, per omnia enim idem fere quod ille agit. Vaninius scribebat contra

tra Atheos, ipse Atheorum maximus; similiter Cartesius: Vaninius jactabat iis argumentorum machinis se obfirmatos Atheorum animos pulsare, contra quas nullum pertinaciæ scutum, aut clypeus consistere posset, similiter Cartesius: Vaninius antiqua & vulgata argumenta tribu submovere, & in eorum locum sua reponere satagebat, idem omni studio & conatu Cartesius agit, qui suas tantum rationes, ut liquet ex epist. Dedicatoria modo ad partes vocata, *omnium optimas* esse existimat: Postremo Vaninii argumenta, quæ Atheis ut Achilles & Hector quis opponebantur, penitius inspecta & examinata, elumbia & ficulnea deprehendebantur, ejusdem per omnia farinæ Renati des Cartes rationes sunt, ut non tantum obiter sectione tertia hujus tractatus ostendimus, sed ipse etiam innuit: In dicta enim dedicatoria Epistola de successu & fructu suarum Meditationum desperans excipere contra earum obscuritatem incipit, laboratque docere propterea forte parum eas apud Atheos valituras esse, quod pauci eas capere queant. Ne videar homini quid voluisse affingere, ipsa

ejus

ejus verba repræsentabo, quæ ita habent: *Quemadmodum in Geometria multa sunt ab Archimede, Apollonio, Pappo, aliisve scripta* (demonstrationes) *quæ etsi pro evidentibus etiam, ac certis ab omnibus habeantur, quia nempe nihil plane continent quod seorsim spectatum non sit cognitu facillimum, nihilque in quo sequentia cum antecedentibus non accurate cohæreant, quia tamen longiusculæ sunt, & valde attentum lectorem desiderant, non nisi ab admodum paucis intelliguntur: Ita quamvis eas, quibus hic utor, certitudine & evidentia Geometricas æquare, vel etiam superare existimem, vereor tamen ne à multis satis intelligi possint, tum quia etiam longiusculæ sunt, & aliæ ab aliis pendent: tum præcipue quia requirunt mentem à præjudiciis plane liberam: & quæ se ipsam à sensuum consortio facile subducat.* Sed si tales Cartesianæ contra Atheos Meditationes ac Demonstrationes, quorsum ut *omnium optimæ* jactantur & ab ipso authore plenis buccis ut tales omnibus ostentantur? Etenim, quisquis animis Atheorum machinas admovere cupit, talibus, quibus everti possint, uti debet. Quemadmodum

dum enim in castris nulli alii arietes probantur, quam quibus mœnia concuti queunt: similiter contra Atheos nullæ aliæ rationes valent, quam quibus vinci ac converti possunt. Nulla ergo injuria Renato fit, quando cum subtilissimo Atheismi patrono Cæsare Vaninio comparatur, iisdem enim artibus, quibus ille, in imperitorum animis Atheismi thronum erigere laborat. Vt enim suspecta redditur veritas, quando ostenditur nullis eam rationibus niti; ita & Atheismus docetur, quando argumentis, quibus solis, aliis repudiatis, nitendum esse jactatur, omnis efficacia ac successus eripiuntur. Nec *primo* quicquam ad rem facit, quod multi benignius de Cartesio, quam de Cæsare Vaninio sentiant, ipseque religionem Catholico-Romanam in propatulo profiteatur. Idem versipellis Sisyphus Vaninius faciebat, qui aliquando quem religiosum ordinem fuerat amplexus, Tholosæ plurimas conciones habuerat, semperque se pro Catholico Theologo gerebat. Qualis vero Catholico-Romanus Cartesius sit, quibusque exercitiis publice privatimque religionem illam

profiteatur, hactenus nondum proditum est: saltem me latet. Qui occultos cordis recessus exploratos habet, ut spero, suo tempore hominem deteget, conatusque ejus clementer impediet. *Secundo*, prodesse non potest homini, quod dicat se contra Atheos scribere. Iis enim bellum quoque (quemadmodum diximus) Vaninius indixerat, nec coram tantum cum iis disputare solebat; verum signatis etiam tabulis, editisque libris, in quibus argumenta solida, & antiquitus ab omnigenæ professionis Theologis ac Philosophis probata, aut in dubium vocando, aut submovendo, straminea & infirma substituebat, quo tutius & subdole magis Atheismum propagare posset. Quantum vero Renati nostri qualibuscunque contra Atheos argumẽtis tribuendum sit, præterquam quod solide varii ejus antagonistæ ostenderunt, nos amplius ex eo ipso, modo probavimus. *Tertio*, non excusari quoque potest Renatus, quod Theologis religioni suæ adversantibus, & nominatim Voetio, quem scil. Theologi Academiæ Lovaniensis pro hæretico habẽt, se opponat; idem enim à Vaninio in Gallia

Gallia fieri ſolet, qui ut apud eos, quorum religionem mentiebatur, aliquam ſibi fidem conciliaret, cum Reformatæ religionis Concionatoribus ſæpe congrediebatur, viderique volebat Zelotes pro ea religione, quam profitebatur. *Quarto* & poſtremo, non expediet quoque ſe Carteſius, ſi dicat ſe à multis pro ſtrenuo Atheorum antagoniſta haberi; Accidit enim & hoc Vaninio, quem à multis ſtropharum diaboli ignaris probatum, pauci ita detexerunt, ut à ſupremis poteſtatibus debito ſupplicio opportune ſublatus fuerit. Deum rogo, ut homini, ſi quid ſequius forte machinetur, in tempore reſipiſcentiam largiatur, aut, ſi ipſe philoſophiæ ſuæ pericula ignoret, oculos mentis ei aperiat, quo per antiquas potius ſemitas, quam novas & periculoſæ aleę pleniſſimas in poſterum incedere malit.

CAPUT IV.

Nova Cartesii Methodus non tam philosophos, quam deliros phreneticosque gignere potest.

MEnecratem Syracuſanum Medicum & monſtroſe faſtuoſum, authores referunt, tanta fuiſſe vanitate & ſuperbia, ut ſe non tantum Iovis nomine indigetare, ſed etiam nunquam in publicum prodire ſolitus fuerit, niſi ſuis, quos curaverat, habitu Deorum veſtitis ſtiparetur, ipſe vero purpura amictus, aureaque corona decoratus, ſceptrum manibus geſtaret. Egregie vero ſuperbia hominis aliquando à Spartæ rege ludibrio expoſita fuit; cum enim ad Aգeſilaum ſcripſiſſet: Menecrates Iupiter Ageſilao ſalutem: reſcripſit; Ageſilaus Menecrati ſeu Iovi ſanitatem. Menecrati haut ſine ratione Renatum Carteſium compares, ſive ejus faſtum & jactantiam, ſuperius aliquoties à nobis prodita, ſive importunitatem in omnibus cujuſcunque notæ viris doctis irritandis conſideres. Non quidem pro Io-

ye

ve apud Agesilaum quem se gerit, sed pro infallibili in philosophia magistro, qui possit citra pulverem è vestigio ea expedire & clarissime explicare, quæ hactenus summis viris crucem fixerunt. Quanquam vero tanta superbia non nisi hellebori cyatho expelli & curari deberet hominisque amici pro bona mente vota nuncupare; cum tamen Menecratis instar non tantum ipse sponte insanire velit, sed maxime sectatores suos, per certam methodum ad vesaniæ, si nō phreneseos, lineas adducere; non possumus non periculum annotare, cui se exponunt, quotquot ex ejus præceptis ad sapientiæ arcem contendunt, ne dum videantur sapere, deprehendantur insanire. Nolo autem exempla colligere eorum, qui nuper ex sophiæ sacerdotibus per authoris philosophiam transformati fuerunt aut in Moriæ epoptas, aut deliriorum mystas, excipere enim posset Renatus eos tum methodi, tum philosophiæ suæ incapaces fuisse: non dicam quoque, ut sæpe justo Dei judicio accidit, superbissima ingenia, dum omnem sibi solis vindicant sapientiam, confundi & prostitui: quanquam interim verissi-

mum est quod Herodotus dicit:

φιλέει κολούειν ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα.

Vnam hominis methodum attendi cupio: Ex ejus autem præscripto mens à sensibus abstrahenda est, sibique relicta ac omnibus præsidiis sciendi destituta, circa axiomata per sensuum judicium maxime innotescentia, & quæ inde educi possunt consectaria, exercenda. Sed quomodo per compendiosiorem viam quis aut ad delirium, & inde propullulantem vesaniam ac phrenesin cōtendere potest? Nam 1. qui ex methodi hujus præscripto progredietur, mentem sive in abstractione sive contemplatione occupatam, maxime intentam, unique rei velut immobiliter cogitando insistentem continere debebit. An experientia unumquemque docere potest (si libeat vel phreneticorum carceres invisere) plerosque quibus de statione mens dimota est, per unius alicujus rei fixam nimis cogitationem, primo delirium, & quæ illud, si remedium non adhibeatur, subsequi solent, vesaniam & phrenesin incurrisse. Vt oculus enim uni

uni colori arcte diu inhærens hebescit & caligare incipit; ita intellectus sibi relictus, omnibusque subsidiis destitutus quasi læditur per turbatas phantasticas species, si circa unum objectum hæreat, maxime si de eo cognoscere velit, quod aut humano ingenio apprehendi non potest, aut saltem non ab eo, qui tali speculationi indulget. 2. Author sic abstrahi mentem à sensibus vult, ut simul etiam abstrahatur ab ideis sive imaginibus in phantasia depictis. Sed quantum non periculum iis imminet, qui tali abstractioni indulgent? Etenim qui supra phantasię species, mentis suæ ideas abstrahunt, phantasiæ species seponere & ad tempus non curare debent, quemadmodum & exęmplo suo in Meditationibus præire Renatus studet, sed species adeo neglectæ an non aut ipsius phantasiæ inserviunt confusioni, aut quia negliguntur, putantur ad solam mentem turbandam phantasiæ inhærere. Quid vero hinc sequitur; aut phantasiam esse semper suspectandam, hoc est, strenue delirandum? aut phantasiam per mentem supra eam abstractam esse regendam, hoc est, lepide insaniendum. Cum

enim intellectus, sive mens, indigeat phantasticis speciebus, quo iis contemplandis inhærens, ex illis species intelligibiles efformare queat, non potest ita supra illas abstrahi, ut eas pro arbitrio tanquam domina ordinet. Hoc enim qui faciunt, insanorum & mente carentium exempla sequuntur. Quemadmodum videre est quosdam, qui Phreneticorum aulam exornant, stramen putare esse aurum, quod mens phantasiæ species sensibiles conservanti non obsequens, sed supra eam dominari cupiens, rem nihili metallorum pretiosissimo æquivalere pronunciet. 3. Quoniam author omnium obliviscendum esse pronunciat, solamque mentem à sensibus abstractam audiendam, quantum in se memorialem potestatem obliterat, hoc est proximam ad insaniam viam sternit. Cui bono enim illa, si unius mentis nullius rei memoris dictamina audienda sunt. Ipsa enim omnium rerum ignara, à sensibus abstracta, & supra phantasiam subvecta secure & citra reprehensionis metum luteam domum palatium, festucam trabem, pulverem aurum, &c. vocare poterit: sic enim

cen-

censet & opinatur, quoniam neque sensus curat, neque ullius rei præsumit esse memor. Sed an non quotidie secundum similem methodum philosophantur, quibus hellebori pocula, præ Falerni cyathis, salubria sunt; Si dicat Cartesius me ineptire, & pericula ejusmodi tantum mihi meæque farinæ hominibus imminere: ipsi ex animo à Deo sanæ mentis in corpore sano cõstantiam cum omnibus sectatoribus precor, simulque rogo, ne novis suis speculationibus, in posterum Academica studia turbare instituat.

FINIS.

SYLLABUS

Rerum in hoc libro digestarum.

Numerus prior Sectionem, medius caput, posterior pag. signat.

Omni-

Argu-

FINIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

Digitized by Google